8
4 C
41

Digitized by Google

Coll. Rom. Soc. Catalog. inscrip.
8-4-C-4

Ex Legato DISPVTATIO Card. Toleti

THEOLOGICA DE SANCTIS, COMPLECTENS OMNES FERE NOSTRI temporis controuerſias, de illorum origine, canonizatione, veneratione, inuocatione, templis, diebus feſtis, votis, peregrinationibus, reliquiis, atque miraculis.

IN ACADEMIA TREVIRENSI, ANNO INCARNATIONIS Dominicæ M. D. LXXXIIII. Die menſis Aprilis publicè propoſita,

AD QVAM RESPONSVRVS EST RELIGIOſus F. Nicolaus Arresdorffius, ordinis Fratrum Minorum.

P R AE S I D E

R. P. IOANNE GIBBONO ANGLO SOCIETATIS IESV, SS. Theologiæ Doctore, & Profeſſore ordinario.

AVGVSTAE TREVIRORVM,
Ex Officina Emundi Hatoti, ANNO
M. D. LXXXIIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
B. S.

P. 4. C. 41

IN HÆRETICOS
De inuocatione ſanctorum.

Poſſe preces veſtras diuos audire negatis;
Non malè: nam ſtudium tollitis omne precum;
Aut ſi quod murmur deducta fauce ſonatis,
Aëra per liquidum vix penetrare poteſt:
Aut certè pro carne preces adhibere ſoletis,
Et ſurſum nequeunt ſcandere carne graues.
Non igitur poſſunt vos exaudire beati:
Nos poſſunt, etſi Dis Acheronte fremat.
Quod diui nequeunt, Mars, et Dea Cypria poſſunt:
Scilicet in veſtras cedit vterque preces.
Vos quoq; quanta volunt, & qualiacumq; viciſſim
Ceditis, vt vobis mutuus extet amor.
Hierony. Bolſeca in vita Caluini cap. 6.
Non patet? hinc pateat: venerem Caluinus Ieſu
Pratulit, vt feſtum poſſet habere diem.
Officium ſenſit Venus officioſa clienti:
Sic mulus mulum lambit, & ore ſcabit.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. PETRO BINSFELDIO, EPISCOPO AZOTENSI, REVERENDISSIMI AC ILLVſtriſsimi Archiepiſcopi Treuerenſis in Pontificalibus vicario; apud S. Simeonem Præpoſito, ac ſacræ Theologiæ Doctori: Domino ſuo plurimum colendo.

NON exiguam ij Reip. Chriſtianæ operam præſtare mihi videntur, Reuendiſsime in Chriſto pater, qui ea, quæ à maioribus noſtris, fuſè ac copioſè, neq; ſine obſcuritate, in omni diſciplinarum genere poſteris tradita ſunt, diligentia ſua & induſtria, in perſpicuam aliquam, & compendiariam breuitatem contrahere elaborant. Cùm enim ſemper res, copioſius, abundantiusq́; quam par eſt tractata, moleſtiam ac tædiū lectori procreet, tū maximè ingrata atq; iniucunda cenſetur, cum obſcuritatis latebram ſibi coniunctam habet: fit enim, neſcio, quo modo, vt quos prolixa obſcuritas à ſe reijcit ac deterret, hos ad ſe inuitet allectetq́; perſpicua breuitas. Cùm itaq; annis iam aliquot in alma hac vniuerſitate Treuerenſi, (cui equidem tantùm atq; parentibus me debere fateor) cum alijs honeſtis & liberalibus artibus, tum S S. Theologiæ ſtudio, impenſius vacaſſem, geſtijt tandem animus, pro tantis doctiſsimorum præceptorum in me collocatis laboribus, quibus lubenter omne id, quòd in hac facultate conſequutus ſum, acceptum fero, aliquā grati animi ſignificationem oſtendere: ſi quidem mihi perſuadebam, tam ijs id gratum fore, quam quod gratiſsimum, ſi aliquod profectus indicium, ac ſpecimen (quo nihil illi carius habent) in lucem proferrem. Cæterùm in hoc negotio tā arduo, vt facile ſit, humanum aliquid paſſus ſum; quantum enim chariſsimi præceptoris me ad id aggrediendum concitabant ſtimuli, tantùm è contrà me rei deterrebat difficultas, laborumq́;, qui mihi ex religionis præſcripto incumbunt, remiſsio: cum enim bona diei pars in diuinis laudibus perſoluendis, neceſſariò mihi conſumenda ſit, parumq́; otij grauiora ſuppeditent exercitia, non ea qua optâram facilitate prouinciam hanc conficere licuit. Subciſiuis proinde operis rem aggredi conatus, primò mecū cogitare cœpi, quid potiſsimum è multis, quæ hoc ſeculo in diſceptationem vocantur, dignum Reuerendiſſ. D. T. Reipub. Chriſtianæ fructuoſum, lectoribus vtile, mihi ſeligendum eſſet. Atque tunc eiuſmodi ſeſe tractatio obtulit, quæ de diuorum cultu ac veneratione, ſummatim per capita diſſereret: Quam eo nomine tibi Reuerend. in Chriſto pater gratiorem fere arbitratus ſum, quod in ea communione tuenda ac propaganda, quā Diui cœlites cum grege tuo, licet in cœlo beatiſsimum æuum tranſigant, hic in terris tamen coniuncti ſunt, ſtrenuum te atque acerrimum conſpicerem. Prætereà animum ad id alacrius, præſtandum, mihi addidit Chriſtianæ reip. augendæ ac amplificandæ ſtudium & deſiderium, quod, tametſi omnibus quidem nobiſcum commune eſſe intelligam, illis tamē ſemper quàm maximè conuenire duxi, qui in religione omnes ſuos labores, ſtudia & animi contentiones,

tum Chriſto eiuſq; honori promouendo, tum animarum ſaluti quàm ſtudioſiſsimè procurandæ, conſecrarunt. Quare cum omnem etiam illum cultum ac venerationem, quam diuinis hominibus, ac in cœleſtis gloriæ domicilio iam commorantibus, mortales tribuimus, in Chriſtum omnis ſanctimoniæ fontem ac largitorem refluere ac permanare non ambigerem, haud parum eius honorem propagatum iri ſperaueram, ſi vel exiguam hanc meam Reipub. Chriſtianæ operam impenderem. Videbam ad hæc, pleraque Chriſti ouilia à rabioſorum luporum incurſu vehementer infeſta reddi, quibus arcendis plurimum roboris allaturos, Chriſti numine ſimul adſpirante, exiſtimabam hos meos qualeſcunque labores: illud enim perſuaſum habeo, nihil tam moliri, ac tentare humani generis hoſtem, quam vt omnem diuinorum beneficiorum recordationem, è mentibus piorum hominum radicitus extirpet atque euellat; quare illud ferè eius eſſe ſtudium, tum ex ſuperiorum hominum memoria, tum ex hac noſtra infœlicißima tempeſtate didicimus, vt ſacrorum ſignorum, templorumq; euerſiones, tanquam falſæ religionis vbique fundamentum iaciat. Quòd certè ingenium eius, non modò in fanatica illa ſua ac prorſus inſana Iconoclaſtarum ſobole, verùm in nuper etiam ſuſcitata prole, manifeſtò elucet, quam profectò nil præter id, quod ſuprà diximus in votis habere cum ex multis alijs, tum ex eo potißimum planum fit, quòd cùm Diuorum imagines ſiue ſigna omnino reijciat, nec vllo modo eadē coli patiatur: Caluini tamē ſui, ac Lutheri, cæterorumq; eiuſdem ordinis ſectatorum imagines amuletis, nummisq; inſculptas, nec non collo appenſas, honoris cauſſa geſtare non erubeſcat. Nunc verò, quod eadem gens, Gigantæo fortaßis robore confiſa, nefarium bellum cœleſtibus inferat, gloriam illis tantam ac ſummam fœlicitatem inuideat, honorem denique eorum & cultum omnibus modis labefactare tentet, quis ſapiens miretur? cum liuore atque inuidia nil iſti antiquo ſerpenti familiarius, ſuperbia verò & arrogantia, nil magis proprium ſemper fuerit. Quæ, cùm fuſius hiſce aſſertionibus noſtris ſint explicanda, pluribus hoc loco commemorandis, ſuperſedebo, id vnum monuiſſe contentus, in hac diſputatione nihil à nobis allatum, quòd non diuinis litteris, Œcumenicis Concilijs, patrum ſententijs atq; decretis, ac denique ipſi rationi quam maximè ſit conſentaneum. Quare Reuerendiſſ. in Chriſto Pater, tibi, qui in huiuſmodi concertationum palæſtra, diu multumq; verſatus es, hos primos laborum meorum fructus dedicare, atque humilibus votis offerre placuit, quo & propenſum meū erga Reuerend. D. T. animū declararem, & ſimul hi labores mei, tuo patrocinio tuti atque defenſi, plus apud omnes auctoritatis conſequi poſſent, cum nimirum intellexerint, ſibi id debere omnibus placere modis, quod tanto viro animaduertunt non diſplicere. Auguſtæ Treuirorum ex conuentu fratrum Minorum Conuentualium. 24. Martij 1584.

R. Dominationis tuæ
cliens
F. Nicolaus Arresdorffius, Ordinis D. Franciſci.

CAPVT

CAPVT PRIMVM, DE ORIGINE ET CANONIZATIONE SANCTORVM.

I.

DIſputaturi de cultu Sanctorum, non abs re fuerit exordium ab ipſo nomine ſumere, cuius explicatio multum luminis toti diſputationi adferre poterit. Sanctitas ergo ſi vocis ἔτυμον ſpectes, inprimis mũditiem ſignificat & puritatem; quemadmodũ enim Græcis ἁγιότης puritatem, ſynceritatem atque integritatem notat, ita Latinis ſanctitas munditiem ab omni impuritate liberam & abſolutam deſignat.

Dion. c. 12. de diu. noni.

2. Porrò ne fallaris exiſtimans quamuis animi munditiem, mentiſue in Deum diuinaſque ſunctiones applicationem, ſanctitatis nomine, qua de hic agimus ſignificari, addendum neceſſario eſt, illam conſtantem debere eſſe, & minimè ſimulatam ſiue fucatam. Hinc apud Priſcos Latinæ linguæ auctores, illa dicta ſunt ſancta, [a] quæ ab hominũ iniuria defenſa atque munita, vel [b] ſanctione aliqua firmata, vel [c] ſacra & in corrupta fuerunt, aut [d] ſanguine effuſo per hoſtiæ immolationem conſecrata.

[a] Martianus de diuiſione rerum. [b] Vlpianus de ſignificatione verborum. [c] Virgil. 12. Ænead. [d] Seruius in l. 12. Æn.

3. Ex quo libet hunc in modum ſanctitatem noſtram deſcribere, vt ſit quædam animi mundities, ſiue puritas, mentiſque in Deum diuinaſque functiones conſtans, minimeque fucata applicatio. Hinc etiam patet, ſanctitatis nomen impropriè tantum, & extrinſeca quadam denominatione conuenire illis rebus, quæ diuinis vſibus ſolummodo conſecrantur, vt ſunt templa, altaria, veſtes & vaſa ſacra; tum ſacramenta, quæ ſigna ſunt vel cauſæ ſanctitatis; propriè vero illis, qui immunes ſunt & liberi à ſordibus peccatorum, quique per Chriſti gratiam & virtutum chariſmata Deo ſunt conſecrati, vt homo vel angelus.

D. Thom. 1. ſent. d. 10. q. 2 2. 2. q. 81. a. 1.

Marc. ca. 18. Matth. 27.

4. Præter Deum verò Opt. Max. totius ſanctitatis fontem atque originem, indubitata fide tenendum eſt, aliquos alios ſanctos eſſe, non modo Angelos cæleſti beatitudine iam donatos, ſed etiam homines atq; alios quidem aliis perfectius & abſolutius, prout eorum ſtatus & conditiones ferunt; ſiquidem illi, qui cum Deo æterna fruuntur fœlicitate, omniſque pœnæ ac culpæ ſunt expertes, abſolute omniq́ue ex parte ſancti exiſtimandi ſunt; cæteri verò, qui in hac mortali vita ad brauium

Leuit. ca. 11. 1. Pet. 1. Pſal. 15. Apoc. cap. 7. cap. 21.

propoſitum conſequendum adhuc fœliciter currunt, ſancti quidem & iuſti reuera cenſendi ſunt, quamuis, ſecluſo priuilegio, culpa & pœna ita abſoluti non ſint, quin poſsint in vtramque incidere; & horum quidem ſanctitas imperfecta ſolet dici ſeu viatorum, cæterorum verò, patriæ, perfecta, & omnibus numeris abſoluta.

Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. Ephеſ. c. 1. Epheſ. c. 2.

5. Huius porrò ſanctitatis cauſæ ſunt, efficiens Deus Opt. Max. qui gratuitò abluit & ſanctificat nos, ſignans & vngens ſpiritu promiſsionis ſancto; Meritoria autem Chriſtus Dominus noſter, qui cum eſſemus inimici, propter nimiam charitaté, qua dilexit nos, ſua ſanctiſsima paſsione in ligno crucis nobis ſanctificationé promeruit; inſtrumentalis ſacramenta regenerationis & reconciliationis; formalis ipſa ſanctitas, & iuſtitia Dei, nõ qua ipſe in ſe ſanctus & iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit & ſanctos; qua videlicet ab eo donati, renouamur ſpiritu mẽtis noſtrę, & nõ reputamur, ſed verè iuſti nominamur & ſumus. Cauſa verò ad ſanctitatem diſponens remotè, eſt bonus vſus liberi arbitrij, propinquè, gratia excitàns, quę mentem hominis primùm fide illuſtrat, vt credat impium à Deo ſanctificari per gratiam eius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, deinde in ſpem veniæ, & peccatorum deteſtationem per pœnitentiam excitat; cauſa porrò quæ proxime diſponit, eſt motus fidei, ſpei & charitatis, quæ ipſam ſanctificationem comitantur.

Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. & 7. Rom. cap. 3.

6. Modus autem, quo creatura ſpiritualis ſanctificatur, varius ſolet aſsignari; quidã enim ſunt quos pater ęternus ex nõ ſanctis negatiuè, id eſt, nullis peccatorũ ſordibus inquinatis, nec vllo gratiæ vel iuſtitiæ dono perfuſis, ſanctos facit: ad quẽ modũ credimus nõ ſolùm 1 Angelos & 2 primos parentes, ſed etiam Chriſtũ Dominũ noſtrũ, atq; 3 B. virginẽ ſanctificatos eſſe: rurſus alij ſunt, quos ex non ſanctis priuatiue, id eſt, ex iniuſtis & peccatoribus, iuſtis ſanctiſq; annumerat, ita tamen vt ſi velint gratiã amittere poſsint, quemadmodũ per ſacramẽtũ baptiſmi & pœnitẽtiæ modo cõmuniter fieri aſſolet; alios poſtremò ſic ſanctificat, vt ſanctitatẽ ſemel acceptam nunquam amplius amittant, in quibus numeramus 4 Ieremiam Prophetam, 5 Ioannem Baptiſtã, & 6 Apoſtolos ſanctos.

1 D. Thom. 1. p. q. 62. a. 3. 2 Geneſ. 1. Epheſ. c. 4. 3 Con. Baſil. ſeſſ. 36. 4 Iere. c. 1. 5 Luc. 1. 6 Ioan. 14.

7. Hæc de origine & diuorũ ſanctitate, quod ad præſens inſtitutũ attinet, ſufficere poſſunt; nũc de ſanctorũ canonizatione, pauca adiũgamus; quoniã & hæc ad ſanctitatis rationẽ, ſuo quoq; modo pertinet. *Eſt autem canonizatio aliud nihil, quàm ſanctimoniæ alicuius diui, proborum hominum teſtimonijs commendatæ, diuiniſq; virtutibus confirmatæ publica eccleſiæ approbatio*, ita vt populo chriſtiano liceat non modo ſanctitatem illius colere, ſed etiam virtutes ac vitam tutò imitari.

8. Cuius vſum in primitiua eccleſia, (cũ manifeſta ſanctitatis teſtimonia extarent, vt pręter cõmunẽ populi cõſentionẽ, vix alia opus eſſet approbatione) quàmuis nõnihil diuerſum ab eo, qui modo vſurpatur,

vere tamen extitiſſe teſtâtur ſcripturæ ſacræ; quæ cũ veteru ſanctimoniã
prędicant, eorũq; virtutes nobis imitandas proponunt, nihil ſanè aliud,
quàm cuiuſdam canonizationis formã nobis præſcribunt; ſic Chriſtus *Matth. c. 22.*
Abrahamũ, Iſaac & Iacob, vt etiã Abelem & Zachariam nobis cõmendat; *Luc. 20.*
ſic Paulus egregias antiquorum laudes atq; virtutes prædicat, eaſque vt *Heb. 11. et 12.*
imitemur grauiſsimis hortatur verbis. Idem facit D. Petrus atq; Iaco- *2. Petr. 2.*
bus, ille quidem Noë ac Loth iuſtitiam extollens, hic verò Iob & Pro- *Iacob. c. 5.*
phetarum labores atque patientiam proponens.

9. Porrò cũ manus Dei nõ ſit abbreuiata, & nõ min⁹ poſteriorib⁹ ſæculis, q̃ tẽpore martyrũ ſanctitas iuſtorũ in eccleſia viguerit, quàmuis aperta illa teſtimonia, refrigeſcẽte charitate, paulatim improborũ fraude obſcurarẽtur, placuit diuinę ſapiẽtię, q̃ ſemper regit & gubernat eccleſiã, ſic ꝓſpicere malis futuris, vt ſancti honore debito nõ priuarentur. Atq; ita, ne ſpecie pietatis improbitas ſuſpiceretur, viſum eſt eccleſię moderatorib⁹, illos ſolos numero ſanctorũ aſſcribẽdos eſſe, & à populo Chriſtiano colendos, quos non humanæ tantùm voces & diuinæ virtutes commendarent, ſed Romanæ etiàm eccleſiæ auctoritas ſanciret venerandos. *Audiuimus (inquit Alexander Pontifex eius nominis tertius) quod quidam inter vos diabolica fraude decepti, hominem quendam in potatione & ebrietate occiſum, quaſi ſanctum, more infidelium venerantur, cum vix pro talibus in ebrietate peremptis eccleſia permittat orare, dicit enim Apoſt. Ebrioſi regnum Dei non poſsidebunt. Epheſ. 5. Illum ergo de cætero non preſumatis colere, cum etiamſi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro ſancto abſq; auctoritate Romanæ eccleſiæ venerari.* *De reliquiis et venerat. ſanctorum.*

10. Proinde qui magiſtratui ciuili, cõmuni plebi, vel ſectariorũ cõuenticulis & ſynagogis fallacibus poteſtatẽ cõcedũt ſanctos canonizãdi, lõgè aberrãt à veritate, cũ hi nullã habeãt hac de re quidpiã ſtatuendi facultatẽ; tametſi non negemus, quin ad legitimã canonizationis rationẽ, humana quoq; præſidia atq; teſtimonia, ſuo quodã modo debeãt adhiberi, ne contra ſuauẽ Dei opt. max. diſpoſitionẽ, quæ per homines, & in hominum cõmodũ fieri cõſueuerunt, humana quoq; fide atq; induſtria deſtitui videantur; quàmuis ſummi paſtoris & eccleſiæ iudiciũ, non hominum certitudine, ſed Spiritus ſancti infallibili nitatur aſsiſtentia. *Sap. 8.*

11. Vbi ergo hæc, cæteraq; ad canonizationis ſolennitatẽ ſpectantia, ritè fuerint peracta, ſine vlla dubitatione aſſerimus ſummũ Pontificem, vel eius loco ſacrã Synodũ, certiſsimam & exploratã de alicuius ſanctitate proferre ſententiã; tũ quia ſummus paſtor, in ijs quæ ad fidẽ (in quibus ponimus cultum & canonizationem ſanctorũ) & mores pertinent, errare non poteſt, tum etiam, quia nullius ſancti canonizatio legitimè hactenus peracta, à quoquam infringi aut infirmari potuit.

12. Verùm hic nobis inſultãt aduerſarij illudq; Aug. cãtillãt, multo- *l. 2. con. Gaudẽtiũ Donat.*
rũ corpora venerari in terris, quorum animæ excruciantur in inferno,

non atte... ...es de quorum veneratione hæc verba protulerit Augu-ſtinus, quem conſtat euidenter, non de ijs ſanctis, qui publica auctoritate Eccleſiæ venerantur, ſed de ſceleratis quibuſdam hæreticis, quos Donatiſtæ veluti ſanctos priuata quadam ſanctitatis opinione, ſuis ſectatoribus proponebant colendos.

CAPVT SECVNDVM, DE Adoratione & eius partibus.

13

TRia verba ſunt, quibus ſcriptura diuinum cultum explicat; quorum primum eſt προσκυνεῖν, quod in adorare vertitur, proprieque ſignificat procumbere, & ſe pronum in terram dimittere, ac ſupplicem eſſe; alterum λατρεύειν quod à vehementia timoris nomen accipiens, ſignificat reuereri & venerari; tertium δουλεύειν, quod ſimpliciter ſeruire enunciat: qnorum nullum ex ſe cultum ſoli Deo debitum deſignat, ſed vel geſtū interiorem, vt προσκυνεῖν, vel famulitium & obſequium, vt λατρεύειν & δουλεύειν, quæ communia ſunt tam diis quàm hominibus, vt grammatici volunt.

Cauſæ adorationis. 14. Cauſæ autem cur alicui rei honorem ac venerationis cultum præſtemus, tres à doctis ſolent aſsignari; prima ipſius rei in ſe exiſtentis natura & ſubſtantia: ſecunda perfectio & dignitas, ſiue naturalis illa ſit, ſiue aliũde accedens & acquiſita; tertia eſt dominium quod vnus habet in alium. Sic Deum ſingulari ac peculiari adoratione colimus, ob naturæ excellentiam, & incomparabilem ſublimitatem, tum etiam ob naturæ ipſius annexas virtutes, perfectiones, & operationes in creatione mũdi, gubernatione, &c. quæ vt ſoli Deo conueniunt, ita adorationem quandam ſoli Deo propriam in ſacris litteris exigunt. Ac proinde ſcriptura, cum illius adorationis ſingularis mentionem facit, naturam ferè Dei, & actionem ſingularem attingit, vt *Venite procidemus ante Deum, quoniam ipſe fecit nos*; & iterùm, *Timete Deum, date illi honorem, & adorate eum, qui fecit cœlum & terram.* Sic etiam Angelos & homines veneramur ſupra alias creaturas, tum ob naturæ dignitatem, tum ob dona & officia ipſis à Deo collata; reliquis etiam creaturis cultum honoris & adorationis, pro cuiuſque magnitudine & conditione exhibemus.

Pſal.96. Apoc.14. & 4. Act.14.

15. Impenditur porro creaturis veneratio, tum ob naturæ ſtatum excellentem, tum etiam ob gratiæ modum & perfectionem, vt antè diximus, ita tamen, vt quibuſdam propter vtrumque ſimul, vt Angelis ac

probis

probis ſanctiſque hominibus, quibuſdam propter ſola innata dona, ſic Iehu mandauit impiam Iezabelem honorificæ tradi ſepulturæ, quia de regum ſanguine eſſet procreata; quibuſdam cõtra, propter res extra poſitas, amplior honor præbetur, quàmuis in abiectiſsimis numerentur creaturis; ſic Iudæi arcę ligneæ & templo Salomonis maiorem præſtabant adorationem quàm Angelis ipſis, ob ſingularem Dei in illis præſentiam. 4. Reg. c. 9.

16. Rurſus ob dominium aliquorum in alios, cultus, honor, obſequium aut ſeruitiũ exhibetur; vnde plus eſt λατρεύειν quàm προσκυνεῖν & ſeruire, quàm adorare & colere; nam adoramus & colimus etiam alienos, quibus non ſubijcimur ad ſeruiendum, ſicut Nabuchodonoſor adorauit Danielem, & Dauid Ionathan: quamuis nec ille Danielis, nec hic Ionathæ ſubiectus eſſet ſeruitũti, nemo enim ſeruit niſi domino ſuo. Dan. c. 2. 1. Reg. c. 21.

17. Seruire autem, eſt ſe exhibere alicui ſubditum ac ſubiectum ad obediendum: hinc Apoſtolus, *Neſcitis* (inquit) *quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam.* Vnde ſeruire duo includit: primum obſequium pręſtare in hac vel illa re; ſecundum, ſe exhibere ſeruum, id eſt, ſubditum & ſubiectum ad obediendum, alioquin non recte concluſiſſet Chriſtus, *neminem poſſe duobus dominis ſeruire, Deo ſcilicet & Mammonæ*; & ſeruitus in iure dicitur, qua quis ſubiicitur alienæ voluntati, vt non ſit ſuus. Rom. c. 6. Math. c. 6.

18. Nos autem multis nominibus Deo ſeruire tenemur, quòd & nos Dei ſimus, & omnia noſtra, iure creationis, iure naturæ, iure adoptionis, titulo meri dominij, titulo poſſeſsionis antiquæ, & titulo emptionis ſiue redemptionis, titulo pluſquam iuſtæ commutationis, & titulo poſtremò donationis. Hoc Dei opt. max. ampliſsimum in nos imperium variis in locis explicat ſcriptura, vt *tua eſt Domine magnificentia, & potentia, & gloria atq; victoria, & laus; cuncta enim quæ in cælo ſunt & in terra, tua ſunt: tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes principes; tuæ diuitiæ, tua gloria eſt: tu dominaris omnium; in manu tua virtus & potentia; in manu tua magnitudo, & imperium omnium.* 1. Par. c. 29.

19. Tam præterea potens & præſens eſt imperium ac dominũ Dei, vt nec folium defluat de arbore, nec *paſſer minimus cadat ſuper terram, ſine voluntate ipſius*; nec ſolum imperium vitæ & necis habet, *ſed omnia quæcunq; vult, facit in cælo & in terra, & in omnibus abyſsis*; ac propterea monemur, *timere eum qui poteſt mittere corpus & animam in gehennam, qui viuificat & mortificat, deducit ad inferos & reducit*: ipſe nos redemit *non corruptibilibus auro vel argento, ſed precioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti*; Cõmutauit etiam mortem ſui vnigeniti pro vita noſtra; denique nos ſponte propria il' in baptiſmo nomen dedimus, Symbolo ſolemni nos aſſerentes in ſer- Math. c. 10. Pſal. 113. & 134. Math. 10. 1. Reg. c. 2. 1. Pet. 1.

uitutem Dei patris & Chriſti, renunciantes mundo & diabolo. Vnde *Exod. 15.* *merito Dominus omnipotens eſt nomen eius*, merito ſolus Dominus habetur, *Apoc. 17.* *Rex regum, & Dominus dominantium.*

20. Quoniam inſuper agnitio huius dominij diuini neceſſario po- *Latria quid ſit.* nit maieſtatem diuinitatis, ideo propria ac Deo ſoli debita adoratio, latria vocatur, quæ eſt ſeruitus & cultus in recognitionem dominij diuini; & tres adorationis ſoli Deo debitæ iam dictas cauſas includit, nimirùm naturę ſublimitatem incomparabilem, perfectiones ac operationes infinitas, & dominium vniuerſale, quas non complectitur altera vox προσκύνησις ſiue adorationis appellatio; id quod Chriſtus aperte docet, cum inquit, κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, *Matth. 4.* *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies:* vbi inſinuat adorationem quidem Deo deberi, quamuis non ſoli, latriam verò & ſeruitutem ratione vniuerſalis dominij, nulli creaturę, ſed ſoli Deo retinendã eſſe. Nec ſolam ſeruitutem ſimplicem aut nudam importat latria, ſed timorem cum venerabunda ſubiectione, vt ſuprà diximus, & Chriſtus expreſsit, *Matth. 10.* cum dixit, *Timete eum, qui habet poteſtatem mittendi corpus & animam in gehen-* *Luc. 12.* *nam ignis.* Et Salomon Eccleſ. vlt. *Deum time, mandata eius obſerua.*

21. Hæc de cauſis adorationis, atque de ipſa latria dicta ſint; nunc in quibus actionibus conſiſtat vera latria, & diuina adoratio, explican- *Actus latriæ.* dum eſt; cui difficultati multum lucis attulit Chriſtus, cum doceret nos fundamenta prima veræ adorationis iacere ex natura Dei & noſtra. *Ioan. 4.* *Deus ſpiritus eſt, Deus veritas eſt*, ac proinde, *adoratores quærit in ſpiritu & veritate*; quibus verbis pronunciat ſpiritum, & interiora mentis officia, priora eſſe ac potiora in adoratione, quia propius Deum attingunt, deinde veritatem ipſam ſecluſa falſitate adhibendam cenſet.

22. Mente enim proximè ad Deum, qui mens eſt, accedimus, quiq; in ea inhabitat, & in eam dona ſua prius inſtillat, vt merito in ipſum viciſsim mens noſtra ferri debeat, ipſique ſerua ac ſubdita fieri. Prætereà ſola mens eſt quæ apprehendit de Deo, quis ſit, & quantus, & quas ob cauſas ſeruiendum ſit ei, quo etiam tempore atque modo; ac proinde à mente pendet adorationis veritas vel falſitas; nec poteſt adorari Deus in veritate, niſi mens prior illi ſeruiat, veramque de illo opinionem habeat; & ſuo quaſi lumine adorationi præeat: nam ſi quid falſi Deo affingitur, aut circa naturam eius, vel circa ea, quæ ab ipſo prolata ſunt, error in mente concipiatur, tũc adoratio, quæ inde oritur, vel idololatria erit, aut falſa latria, quia non adoratur Deus in veritate.

23. Cæterum non ſufficit ad adorationem, quod mens habeat re-

ctam

ctam cognitionem de Deo, quia adorare non eſt tantum cognoſcere, ſed ſeruire ac ſubditum eſſe: ideo vt adoretur in ſpiritu & veritate, oportet voluntatem ſequi mentis cognitionem, animum ipſum addictum eſſe Deo, ſimilimumq; ei fieri in ſpiritu & veritate, & omni iuſtitia, & ſe prebere obſequentem in omnibus, quæ Dei naturę cōueniunt, vt ijs ſe ſubmittat. Deus verò vt ſpiritus eſt & veritas, ita charitas, ſumma puritas, bonitas, perfectio ſumma, ac proinde requiritur, vt animus ei ſeruiat in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus, iuxta illud ſcripturæ, *ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* Sin ad contraria diuerterit, ſe dedat auaritiæ, libidini, ventri, & aliis vitiis, *non poteſt ſeruire Deo & Mammonæ.* Præterea Apoſtolus vocat auaritiam idololatriam, ſicut & ingluuiem, quia homo iam non ſeruit nec obtemperat Deo, ſed illis c[illegible]aturis. Concludimus ergo, ſicut vt adoretur Deus in veritate, neceſſe eſt animum nullis erroribus vel falſitati ſubdi, ita vt adoretur Deus in eo quod ipſe eſt, ſpiritu nimirum & virtute, decet mancipari omnibus virtutibus. *Leuit. 11. 1. Pet. 1. Matth. 6. Ephes. 5. Philip. 3.*

24. Ad hæc mentis eſt, non tantum Deum in ſe conſiderare, ſed quantus ſit cum aliis collatus attendere, ipſiq́ue ſuum ius & locum tribuere, vt in veritate adoretur; ac proinde, in omnibus decet Deo dare primas fidei, ſpei, charitatis, honoris, inuocationis, venerationis atq; adorationis; neque in his, ipſi vllam creaturam præferre, æquare aut ſociare, vt fecerunt gentes & Samaritani: non enim illi placet gloriam ſuam alteri conferre. Fidem ergo, ſpem, charitatem ex toto corde, ex tota virtute noſtra niti decet in ipſum, ſicut nos toti ab ipſo ſolo ſumus, ab eiuſque ſolius nutu toti pendemus, totiq́ue ſubijcimur; alijs verò nihil quicquam relinquendum, niſi propter ipſum, & quatenus ille præſcripſerit. *Eſa. 42. 48*

25. Recte igitur latriam interiorem tribus perfici actibus docti exiſtimant: quorum primus rationis eſt Deum hoc vel illo modo, tempore, aut loco colendum eſſe dictantis, & ad prudentiam ſpectat; alter voluntatis libere ac promptè rationis iudicio aſſentientis, qui ad religionem attinet, cuius finis eſt Deus, obiectum verò ſacer cultus, vel certè externum aliquod eiuſdem cultus Symbolum; tertius vtriuſque potentiæ ſimul, intellectus nimirū & voluntatis, fide & charitate in Deū, velut in ſummum rationalis creaturæ bonum rectè tendentium; & hic actus ad fidem & charitatem ſimul pertinet. *D. Thom. 2. 2. q. 71.*

26. Vt ergo adoratio naturæ diuinæ reſpondeat, & in veritate fiat, ſpiritu inchoanda eſt, ſed non intra limites ſpiritus coercenda & cōcludēda, nā nō ſolū animos, ſed etiā corpora à Deo accepimus; nec nos ſolos ſibi, ſed omnia creauit ac ſubiecit ſub pedib⁹ noſtris; nec tātū dominatur

ſpiritui noſtro & corpori, ſed omnibus quæ condidit in vſum noſtri, qua de cauſa ei ſeruire ac ſubdi tenemur, non ſolo animo & corpore, ſed reliquis omnibus ad eius nutum conuertendis.

27. Ac proinde vtramlibet adorationem, tam latriam quam duliá, tripartito diuidendam exiſtimamus; in internam ſolam, qua Angeli ac cæteri beati in cælo Deum obſeruant; externam tantum, qua ſatellites Pilati adorabant Chriſtum in prætorio, & Iudęi Deum, ſecundum illud
Eſa. 29. *populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*; & in mixtam, id
Matth.15. eſt, internam & externam ſimul, qua vere Chriſtiani venerantur eundem in venerabili ſacramento euchariſtiæ.

28. Quiſquis itaq; ſenſerit ſola mente adorandum Deum à mortalibus, infidelis, atque ingrati animi morbo contra Dei liberalitatem, dominium & veritatem laborat; tú quia externum opus ſacrificij, quod ſoli Deo offertur in creationis & dominij recognitionem & gratitudi-
Rom.12. nem, ab Apoſtolo Latria vocatur; tum quia omnis cultus ac ritus exte-
Heb.8.et 12. rior Iudęorum, eodem nomine ab ipſo nuncupatur, tametſi à perfectione genuinę latriæ in eo deficeret; quod magis in rebus externis, quam in ſpiritu fundaretur; & quod non ad veritatem ipſam, quam Deus intendebat, ſed ad ſolam eius figuram & vmbram perueniret; hinc Paulus opponit Euangelicę legis diſpenſationem & obſeruationem, tam in mãdatis quàm in ſacramentis, ſpiritualemque appellat latriam, vt à ſpiritu tanquam à fundamento progredi ad exteriora oſtendat, & non in carne
Philip. 3. fundari. *Nos ſumus* (inquit) *circumciſio, qui ſpiritu ſeruimus Deo, & non in carne*
Rom.1. *fiduciam habentes*. Et alibi. *Teſtis mihi eſt Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio filij ſui.*

29. Sic Anna Prophetiſſa λατρεύουσα, *id eſt, colebat Deum ieiuniis &*
Luc. 2. *orationibus, non recedens à templo*; & omnia bona opera, etiam in cibo & potu quæ cedunt in gloriam Dei, ad latriam referuntur, quemadmodum
Rom. 10. exterior fidei confeſsio, *vt enim corde creditur ad iuſtitiam, ſic ore atque exteriori cultu confeſsio fit ad ſalutem*; non enim ſatis eſt mentem inculpatam ſeruare Deo, niſi fidem etiam tuam rebus externis, tempore & loco confi-
Matth.10. tearis; *qui erubuerit me ait Chriſtus coram hominibus, & ego erubeſcam eum coram patre meo; qui non me confeſſus fuerit coram hominibus; & ego non confitebor eum coram patre meo.*

30. Atque hinc manifeſtum euadit, ex illis quæ hactenus de latria diximus, adorationẽ perfectam omnibuſq; numeris abſolutam, tribus vt minimum actibus conſtare; primo, quo ille qui adorat, per fidem vel lumen naturale intellectus, alterius qui adoratur excellentiam mente concipit; ſecundo, quo excellentia vel dignitate qualicunque prædito, veluti ſuperiori ſeſe vltro ſubmittit; tertio ac poſtremo, quo externo

corpo-

corporis adminiculo internum mentis & voluntatis, ſigno aliquo ſenſibili prodit obſequium.

32. Hic etiam obſeruandum venit, vt quemadmodum mente & corpore ſeruiendo Deo, veram & abſolutam latriam illi impendimus; ita viciſsim non ſolum interiori actu, ſed etiam externo poſſumus à vera latriæ ratione deficere, vt vel in idololatriam aut alium cultum defectuoſum dilabamur; nam non omnis defectus à vera latria, idololatria eſt cenſenda; ſiquidem Iudęi in Moſaicis ſuis ritibus, à perfecta latria deſciſcentes, externo cultu, vmbris & figuris ad certũ tẽpus recte quidẽ credebant adorandum eſſe Deum, nec tamẽ idololatrę erant. Tũc enim idololatria eſt, quando alius fingitur Deus, quam ſit, aut cum loco Dei creaturam ſubſtituimus, eamque colimus; latria verò manca eſt, vel falſa, cum aberratur quoquo modo ab integro Dei cultu; ita vt omnis idololatria ſit defectio à vera latria, ſed non contra.

32. Quòd verò ad cultum attinet exteriorem, in eo ſequẽdam eſſe ſtatuimus diuinæ naturæ veritatem, vt nihil ei detrahatur, aut repugnãs admittatur, queadmodũ de cultu interiori diximus: ſequenda eſt itidẽ diuinorũ mandatorum veritas, vt ea perficiantur quæ præcepit, eo modo & tempore quo præcepit, & ea caueantur quæ prohibuit; nam ſi ab vlla circumſtantia deflectitur, aut idololatria, aut falſa ſaltem latria cenſenda erit.

33. Iudæi olim, vera latria licet imperfecta, colebant Deum in vmbris & figuris Chriſtum deliniantibus, quia Deus ita ſtatuerat ſe velle coli, vſq; ad aduentũ filij ſui; modò verò ſi pergunt poſt incarnationem verbi, ceremonijs legalibus Deum venerari, in cultum pernicioſum miſeri incidunt, & diuinorum mandatorum, atque etiam rei quam fore repræſentabant, veritati aduerſantur. *D. Thom. 2. 2. q. 93. a. 1. D. Chriſoſto. oratione 4. cont. Iudæos.*

34. Ad eandem declinant noſtri ſæculi nouatores, qui ſacramenta & ſacrificia noſtra, pro nudis figuris ducunt veritate ſignificata carentibus. Nam aperte pugnant cum rei veritate, quaſi adhuc vigeant vmbrę, & non ipſæ imagines rerum; pugnant etiam cum Dei voluntate & verbo, tanquam adhuc talis adoratio ipſi grata & accepta foret.

35. Ad hæc, ſicut mens rea fit criminis cultuſque vitioſi, ſi ſe morigeram & ſeruam prebeat alicui creaturæ, aut contra Deum, aut nõ propter ipſum; ita quoque corpus & actio noſtra pari crimine inuoluentur, ſi tali creaturæ ſe deuouerit & alligarit; & quemadmodum mente ita corporis actione à veritate aberrat, qui ordinẽ cultus & adorationis peruertit, qui ſeruit potius creaturæ quàm creatori, qui alicui tanquam Deo inhæret, qui Dei inſtar ęſtimat & honorat, qui quę Deo ſoli debentur, etiam exterius creaturæ dat; qui creaturam quamque non ſuo loco

ordine, & gradu naturæ vel gratiæ; quo à Deo eſt conſtituta, exterius veneratur, aut propter aliam cauſam, quam propter Deũ, aut in aliũ finem quam vt glorificetur Deus in omnibus, exteriora omnia peragit, aut idololatriam committit, aut in vera latria claudicat.

36 Hinc in veteri lege qui ſacrificabat alteri quam vero Deo, morte plectendus erat, quoniam hoc religionis officium, ſic eſt Dei propriũ in gratitudiné & recognitionem tam creationis quàm dominij vniuerſalis, vt nulli creaturę poſsit fieri. Sed nec templa, nec altaria, niſi ſoli deo extrui poſſunt & conſecrari. Rectè quidem in memoriam alicuius creaturæ, vel beneficij accepti à Deo dicari queunt; ſed ita Deum vt auctorem ſancti & beneficij reſpiciunt.

Auguſt. l. 10 de ciui. c. 4. & l. 20. cõt. fauſt. c. 21. Cyril. lib. 6. cont. Iulian.

37. Reliqua ferè omnia exteriora, cum ſint quędam interni cultus notę tantum & ſigna, Deo & creaturis cõmuniter impartiri licet. Nam ſi Chriſtus claritatem quam dedit illi pater, non grauatur creaturis communicare, vt ſint vnum quodammodo, ſicut pater & filius vnũ ſunt; ſi dat ſecum ſedere in throno ei qui vicerit, ſicut & ille vicit, & ſedet in throno patris, vt quodammodo diuinę efficiantur conſortes naturę, cõformes filij Dei, & dicãtur dij ac filij excelſi omnes; ſi thronus, regnum & ipſe denique Deus, ſanctis Angelis & hominibus ſunt communia, quare non templa Dei, altaria Dei, & cultus Dei exterior, vt ſunt capitis apertio, ceruicis inflectio, genu incuruatio, & id genus alia venerationis ſigna erunt cõmunia in terris (vno excepto ſacrificio, quod offertur in agnitionem diuinitatis & dominij incommunicabilis) puræ creaturæ?

Ioan. 17. Apoc. 3. 2. Pet. 1.

38. Obſeruanda præterea eſt, tam in interiori, quàm exteriori cultu diuerſitas quædam & proportio, ſecundum cuiuſq; naturã & dignitatẽ; vt Deum colamus propter ſe, & ſuper omnia; creaturas verò ſub Deo, & propter Dei chariſmata illis collata. Sedent quidem Sancti in throno; & ante thronum, nihilominus *ſeruiunt Deo die ac nocte*; & *qui ſedet in throno, habitat ſuper illos*; vt in omnibus agnoſcamus Deum, & Chriſtũ ſummas ſedes tenere, & à patre per filium mediatorem omnia in alios fluere.

Auguſt. l. de animæ quantitate c. 34. Apoc. 7. & 15.

39. Quapropter ſapienter Theologi diſtinxerunt, nõ tantum cultũ, interiorem, ſed exteriorem in Latriam, Duliam, & Hyperduliam: vt latria, præter ea, quæ ſoli Deo exoluenda ſunt, ſacrorum aliorum rituũ, & omnium obſequiorũ, quæ Deo & creaturis exhibentur, eminentiam à nullo dependentem, & Deo debitã ſignificet, cauſamq; ac finẽ, propter quem aliis adminiſtrantur; hyperduliam verò præſtantiorem quendã cultũ & ſeruitij rationem infra diuinũ, quę creaturę proximè ad Deũ accedẽti, aliiſq; poſt Deũ pręlatę congruat: & Dulia promiſcuam omnibus creaturis tametſi imparem adorationem & ſeruitutem ſubindicet.

Diſcrimen inter latriam & duliam.

40. Quapropter, latria nõ tantum comprehendit actiones cultus,

quæ

quæ Deo ſunt peculiares, ſed aliarũ præterea, quibus defungimur erga creaturas, inæqualitatem, ordinem, & cauſæ ac finis in Deum relationẽ; quicquid enim honoris creaturis tribuimus, cauſam eius Deum agnoſcimus, ipſumque in creaturis ſuis & donis adoramus, vt cauſam ſanctitatis, virtutis, & excellentiæ ipſarum.

41. Proinde quando ſcriptura indicat creaturas adorandas, aut ipſis ſeruiendũ eſſe, ſolet ſæpenumero adiicere, *quia Deus dilexit eas, quia fecit illis magna qui potens eſt.* Hinc Propheta regius inquit, *Laudate Dominum in Sanctis eius, laudate eum in virtutibus eius, &c.* Laudare autem Deum in Sanctis, eſt ipſos extollere & honore proſequi, vt ex ipſis glorificetur Deus, qui dedit tantam poteſtatem hominibus.

Apoc. 3. Luc. 1. Pſal. 150.

42. Parentes etiã præcipimur honorare, *ſed in domino, & quia iuſtũ eſt ac placitũ corã Deo*; iubemur, *ſubijci omni humanæ creaturæ, ſed ꝓpter Deũ, & quia hæc eſt volũtas Dei, & quia omnis poteſtas à domino Deo eſt. Serui iubẽtur cũ timore & tremore dominis carnalibus in ſimplicitate cordis, ſicut Chriſto, & cũ bona voluntate ſeruire ſicut domino, & non hominibus.* Ex quo colligitur in omni cultu creaturę interuenire latriã, quatenꝰ ꝓpter deũ & eiꝰ volũtatẽ, ac veritatẽ ex animo id fit; ſicq; adoratur Deꝰ etiã in ipſis creaturis ſuis in ſpiritu & veritate; imò ſolus Deus adoratur, ipſiq; ſoli ſeruitur, quia omnis noſter cultus, aut circa Deũ ſolũ occupatur, aut circa ipſum in virtutibus, ſanctis, ac miniſtris eius, tanquã circa auctorem & finem omnium verſatur.

Epheſ. 6. 1. Pet. 2. Rom. 13. Coloſſ. 3. Ephes. 6. 1. Pet. 2.

43. Ex his quæ hactenꝰ diximus, manifeſtũ eſt diſtinctionẽ illã latrię & duliæ, nõ vanam eſſe aut arbitrariã, vt placet Aduerſariis, ſed in ſacris monumentis fundatã, & ab antiquiſſimis patribus vſurpatam; nã eã fuſe explicat *Aug. l. 10. de ciuit. c. 1. & 3. & l. 20. con. fauſt. c. 21. l. 1. de trin. c. 6. ep. 49. & 66. & in pſa. 67. Nicena Synod. act. 17. Beda in c. 4. Lucæ & Damaſc. in 3. Apol.*

44. Huius porrò diſtinctionis rationẽ voces ipſæ ſatis inſinuant, nã ex ſententia eorum, qui Græcæ linguæ peritiſſimi ſunt, λατρεύειν, aliud nihil eſt, quam μετὰ πολλοῦ φόβου καὶ τρόμου δουλεύειν, id eſt, magno quodam cum timore & reuerentia ſeruire; nam deducunt vocis ἔτυμον à particula λα & τρέω ſiue τρεύω per Ionicam Epentheſim; quod Latinè idem ſonat atque tremo; cum timore autem & tremore creatori propriè non creaturæ ſeruiendum eſſe, Propheta docet inquiens, *ſeruite Domino cum timore, & exultate ei cum tremore. Pſal. 2.*

Aug. l. 20. con. fauſtum c. 21. Illo cultu quæ Græcè latria dicitur, Latinè vno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam propriè diuinitati debita ſeruitus, nec colimus, nec colẽdum docemus niſi vnũ Deum.

45. Et quàmuis aduerſariis concederemus hanc diſtinctionem in vocibus ipſis non latere, fatendum tamen & nobis & illis eſſet, eccleſiam pro ſua auctoritate alteram ſoli Deo, alteram creaturæ poſſe accommodare, cum voces rebus, non contra res vocibus ſeruire debeant, maximè ſi vſus aut ratio fidei eiuſmodi poſtulet diſtinctionem.

46. At

46. At obijciunt aduerſarij Apoſtolũ tam λατρεύειν quàm δουλεύειν, indifferenter pro cultu ſolius Dei vſurpare, ac proinde fruſtra à noſtris
1. Coloſſ. 6. ſic ſeparari, vt latria ſit propria Dei, dulia verò creaturarum. Hæc qui-
Gal. 4. dem illi, ſed non aduertunt oculati homines, duliam generaliorem eſſe voculam, quæ cultum atque ſeruitium propter quodcunq; dominium & eminentiam, ſiue ſummam, ſiue mediocrem, ſiue exilem ſignificet, ac propterea in ſcripturis Deo rarius, ſed ſæpius creaturis accommodari. Latriam verò quamuis apud prophanos auctores, & apud 70. in veteri teſtamento pro creaturis reddita ſeruitute inueniatur, tamen frequentius in lege & Prophetis, in nouo teſtamento ferè ſemper, legi pro cultu & ſeruitute Deo propria. Quam differentiã aliis verbis idem ferè ſignificantibus videtur innuiſſe D. Petrus, cum ait, *Deum timete, regem honorifi-*
1. Petr. 2. *cate.* nam prius in latria continetur, poſterius in dulia; & in timore Dei honor, ſicut in latria dulia includitur. Sed timor Dei & latria aliquid ſublimius honore & dulia monſtrant: & duo priora ſingulariter Deo ſcriptura applicat, poſteriora verò creaturis ſemper vel vſitatius accommodat.

47. Sed Caluinus quamuis fateatur *complures ex veteribus hac diſtin-*
Cap. 3. inſtit. *ctione vſos eſſe*, illi tamen non putat acquieſcendum, *quoniam omnes*
§. 21. & 33. *perſpiciunt eam non modo impropriam eſſe, ſed penitus friuolam*, tum quia leuius aliquanto eſt λατρεύειν, id eſt colere, quam δουλεύειν hoc eſt ſeruire. Nam ei ſeruire durum eſſet ſæpenumero, quem recolere non recuſares: ac proinde dum λατρεία Deo, δουλεία creaturæ exhibetur, id quod maius eſt creaturæ, minus verò creatori relinquitur; tum quia quũm λατρεύειν nihil aliud Græcis ſignificet quàm colere, perinde valet ſanctos ſine λατρείᾳ colere, & abſque cultu colere quod quam ridiculum ſit, qui mentis vſum habet facile intelligit.

48. Nos tamen cum ſanctiſsimis patribus (quorum fidem ac incorruptum iudicium Caluini perfidiæ; & arroganti ingenio putamus præferendum) aſſerimus δουλείαν ex vſus accommodatione generaliorem eſſe vocem, ac ſignificare ſeruitium ſiue cultum λατρεία multo inferiorem, vt dictum eſt à nobis. Nec inde ſequitur eos, qui colũt Sanctos δοῦλοι ſeruos eorum ſimpliciter nominandos eſſe, quoniam ſeruus alicuius ille dicitur abſolute & ſimpliciter, qui quantus quantus eſt, Domini ſui agnoſcit ſe totum eſſe; qua ratione Dei ſolius ſeruos nos omnes fatemur; ſi tamen de imperfecta quadam ſeruitute intelligatur, quod vrget aduerſarius, non inficiamur poſſe nos ſeruos ſanctorum ſe-
Gal. 4. cundum quid (vt ſchola loquitur) vocari; qua ratione Paulus dicit,
2. Cor. 4. *hæredem quàm diu paruulus eſt, nihil à ſeruo differre*; & ſe ſeruum vocat Corinthiorum

thiorum, quia in commodum ipſorum operabatur; ſic D. Paulinus ſe *Natal. 1. 2.*
vocat ſeruum ſancti felicis, & D. Greg. ſcribit S. Petro placere obſequia *& 3.*
ſeruientium. Nec moramur alteram Caluini argutiam; ſatis enim con- *Dial. 3. c. 24*
ſtat δουλείαν ſignificare cultum multo inferiorem illo, qui λατρεία dici-
tur; proinde Sanctos hoc non illo venerandos eſſe.

CAPVT TERTIVM, DE VENERATIONE Sanctorum generatim.

1 Hier. cont. Vigilantiū. 2 Ionas Aurelianenſ. l. 3. de cultu imaginum. 3 Bern. ſerm. 66. in Cant. & in vita Bern. 3. c. 5. 4 Antoninus p. 4. ſumma ti. 11. c. 7. §. 2 5 VValdenſis tom. 3. de ſac. tit. 12. c. 108. 6 AEn. Syluius c. 25. de ortu Boëmorum.

49.

CONſtat ex iis quæ diximus, in primo & ſecundo capite, præter Deum opt. max. ſanctos eſſe; deinde creaturis aliquem poſſe præſtari adorationis cultum; modò, an Sancti colendi ſint diſcutiẽdum eſt. Negauit olim [1] Vigilantius, negauit [2] Claudius Taurinenſis, 3 Petrobruſiani, Henriciani, Apoſtolici, 4 VValdenſes, 5 VVicleffus, & 6 Taboritæ, peſtes & folles iniquitatis; hac noſtra tempeſtate Lutherus & Caluinus, maiorũ ſuorum perfidiam reuocantes, bellum cõtra Sanctos, & cultum eorum redintegrarunt. Contra aſſerimus nos cum Eccleſia Chriſti, ſanctos homines propter excellentes virtutes, & munera Dei, quibus in hac mortali vita nobis præluxerunt, tum propter gloriam illam admirabilem, qua nunc in cælis potiuntur, citra vllam Chriſti, aut religionis Chriſtianæ iniuriam coli, & ſuo quodam modo adorari poſſe atque debere.

50. Diximus iam antea Deo ſuum latriæ cultum, vt ſummo rerũ omnium opifici, ac ſupremo moderatori ſartum tectum cõſeruandum eſſe, nec vlli creaturæ communicandum; Sanctis vt amicis Dei, & athletis Chriſti, qui de nobis ac repub. noſtra optimè ſunt meriti, duliæ cultum tribendum eſſe. *Theſi. 39. 41. &c.*

51. Primùm id in confeſſo eſt apud omnes, qui ſcripturas admit- *a Pſa. 5. v. 8.*
tunt & intelligunt, creaturas quaſdam rationis expertes, cultu quodam *Pſa. 138. v. 2*
& honore religioſo affectas eſſe: vt [a] templum, [b] tabernaculum, [c] arcam, *Dan. 6. v. 10*
[d] propitiatorium, & Cherubim, altare, panes propoſitionis, & id genus *b 3. Reg. c. 8.*
alia ſancta. Ad hæc Moyſes iubetur ſoluere calceamenta, priuſquã terrã *Ioſ. c. 7. v. 6*
ſanctam concularet. Et Paulus ſic inducit Iacob, *Iacob* (inquit) *moriens* *d Pſ. 98. v. 5*
ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigium virgæ eius. Grecus textus *Pſal. 131. v. 5. & 6.*
legit, προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, adorauit verſus ſum- *e Exod. 3.*
mitatem ſceptri eius, vt intelligas adorationem ipſi virgæ attributam *Heb. c. 11.*
fuiſſe, iuxta phraſim ſcripturæ; ſic Dauid, *adorabo ad templum ſanctum tuũ,* *Gen. 47.*
quorum verborum ſenſus eſt, adorabo templum ſanctum tuum, ſic ſan- *Pſa. 5. et 138*

 cti viri

ĉti viri adorabant verſus Ieruſalem, verſus montem ſanctũ, verſus templum, id eſt templum ipſum adorabant, quemadmodum patres veteres hæc loca ſunt interpretati, vt Chriſoſtomus, OEcumenius in collectan. Dam. l. 1. pro imaginibus, & Leontius apud Damaſcenum. Si igitur his creaturis licuit propter reſpectus quoſdam ad Deum, cultum tribuere ſacrum & religioſum, certe multo magis licebit Sanctis & amicis Dei propter excellentes dotes inhærentes eundem & maiorem aſsignare.

Chriſo. hom. 16. in epiſt. ad Hebr.

52. Hinc in nouo teſtaměto pro more ſemper habuerũt Chriſtiani, venerari ſacraměta religionis noſtrę, ſcripturas ſacras, crucē Chriſti, & imagines Diuorum, veſtes, & reliquias eorũ, vt ſuo in loco demõſtrabimus.

53. Porrò vulgare fuit veteris teſtamenti patribus, & etiam gentibus, qui aliqua Dei cognitione imbuti erant, Prophetas ac viros iuſtos adorare; ſic Saul *inclinauit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adorauit Samuelem.* Abdias *cadens in faciem coram Elia, ait, nonne tu es domine Elias? filij etiam Prophetarum dixerunt, requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Elizeum; & venientes in occurſum eius adorauerũt eum proni in terram.* Nabuchodonozor cecidit in faciē ſuam, & *Danielem adorauit*; Nachor præterea procidit ad pedes Iudith & adorauit eam, & dixit: *Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Iacob*, id eſt, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus Iſraël.

1. Reg. 28.
3. Reg. 18.
4. Reg. 2.
Dan. 2.
Iudith. 13.

54. Ad hæc reſpondet Caluinus, & Euangelij Caluiniani ſectatores, in his ſcripturæ ſacræ locis, cultum quendam ciuilem ac vrbanum deſignari, nõ autem religioſum illum, quem ſchola noſtra ſolet duliam appellare. Verum quam homines iſti nimium ciuiles ac vrbani, ab omni veritatis ſenſu ſint alieni; vel ex hac inani reſponſione licet aduertere; etenim anima Saulis huius ciuici quem fingunt cultus capax non erat; Abdias etiam cum longe maioris auctoritatis ac dignitatis eſſet, quam Elias, ſi externũ ſpectemus cultum, nõ ciuili illo cultu illũ honorauit, ſed vt inſignem Dei Prophetam, & virũ admirabili virtute præditum; filij præterea prophetarum, ideo Elizeum adorarunt, quia ſpiritus Eliæ ſuper eũ requieuerat. Nabuchodonozor etiã rex potentiſsimus non aliã ob cauſam adorauit ſeruũ ſuũ Danielem, quã quia crederet illũ eſſe prophetam ſummi ac præpotētis Dei. Nachor ſimiliter Iudith, vt mulierem ſanctam, & à Deo benedictam honorauit. Sic Alexander magnus teſte Hiero. in Dan. 2. Iaddum ſummum Iudæorum pontificē veneratus eſt.

55. Rurſum non ſolũ homines ſancti & iuſti, ſed ipſi etiam Angeli beati paſsi ſunt à mortalibus, iiſq; virtutũ ſplēdore clariſsimis, ſibi adorationis cultum deferri. *Cùm Abraham eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum; quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adorauit in terrã. Loth pariter cùm vidiſſet duos angelos, ſurrexit, et iuit obuiã eis: ado-*

Geneſ. 18.
Geneſ. 19.

rū: adorauitq́; pronus in terrā. Moyſes quoq; iubetur ſoluere calceamētū de Exo. 3. v. 6.
pedibus ſuis, *quia locus* (inquit ſcriptura) *in quo ſtas, terra ſancta eſt*, nimirum
ꝑpter angeli præſentiam. Aperuit item Dñs oculos Balaam, & vidit An- Nũ. 19. v. 31.
gelum ſtantem in via euaginato gladio, *adorauitq́; eum pronus in terram*. Io-
ſue ſimiliter, cùm intellexiſſet angelū & principem exercitus Dñi ſecum
loquentem, *cecidit pronus in terram, & adorans eum, ait: Quid Dominus meus lo-* Ioſ. 5. v. 15.
quitur ad ſeruum ſuum? Solue (inquit Angelus) *calceamentum tuum de pedibus
tuis, locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt; fecitq́; Ioſue, vt ſibi fuerat imperatum.*

56. Hæc cum ſoluere nequeunt aduerſarij, præclare ſe defunctos officio arbitrãtur, ſi vnū aut alterū ſcripturæ locū corruptis nouatorū cōmentariis obſcuratū, nobis obtrudant. *Ioannes* (inquiunt) *cecidit ante pedes* Apoc. 19. & 22.
Angeli, vt adoraret eum; ſed quid reſpōſi accepit? & dicit mihi, *vide ne feceris; conſeruus tuus ſum, Deum adora*. Hinc concludunt Dialectici noui creaturas non eſſe à nobis adorandas. Debuiſſent ſane viri prudentes, hunc locum ſcripturę cū aliis cōferre, (qui nihil aliud quā ſcripturā clamitāt) atq; ita ex locis inter ſe collatis, veritatē eruere. Vidiſſent alibi in hoc ipſo libro eundē Angelū ſic de Iudæis locutū eſſe, *ecce faciam illos, vt veniāt, & adorent* Cap. 3. Apoc.
ante pedes tuos, & ſcient quia ego dilexi te; loquitur de Angelo Philadelphiæ Eccleſię, vel Epiſcopo; vbi duo vellem ab aduerſariis adnotari, primum ante pedes adorare, non ſignificare coram tantū aliquid facere, vt quidã imaginãtur, ſed iuxta ſcripturæ phraſim vere adorare, colere, ſeu venerari; ſic Sunamitis & filij Prophetarum adorabant Elizeū, & Ioãnes An- 4. Reg. 4. & 2.
gelum; ſecundum eſt, cauſam huius adorationis eſſe dilectionem Dei, vt Apoc. 22.
intelligas cultum hunc nō eſſe ciuilem aut vulgarem, ſed illum qui debetur donis & muneribus diuinitus creaturis collatis.

57. Præterea certū eſt Ioannē Apoſtolū, nō voluiſſe cultū latriæ Angelo, vt talis eſt, exhibere; ſciebat vtiq; hūc ſoli Deo exhibendū eſſe; proinde cauſa inquirenda eſt, ob quā honorē voluerit Angelo deferre. Exiſtimabat ergo Ioannes, hunc quē adorare volebat, nō Angelum eſſe, ſed Chriſtū dominū (vt explicat Auguſt.) nec immerito ſanè, tū quia gloria q. 61. in Gen.
& maieſtas apparentis inſignis erat; tum quia ea verba alibi protulerat, quæ non alteri quam Deo conuenire poſſe videbantur; vt quãdo dixit,
Ego ſum primus & nouiſsimus, & viuus, & fui mortuus; ac proinde cultu diuino Apoc. 1.
eum voluit adorare; quod Angelus animaduertens, ſtatim monſtrauit ſe non Deum, ſed Angelum eſſe conſeruum Ioannis.

58. Eſt & alia huius loci ſolutio, quòd ſcilicet Angelus, cognoſcens probè admirabiles Ioannis virtutes, & merita coram Deo, humiliter recuſarit hunc honorem ſibi à tanto Dei amico, tantaq́; mentis demiſsione oblatum. Atque ita explicatur alius eiuſdem Apoſtoli locus, vbi ſi- cap. 22. Apo.
militer cum Angelum adorare vellet, admonetur ne id faciat.

59. Quòd verò obiiciunt Petri factum, non permittentis ſe à Cor-
Act.10.14. nelio adorari, itemq́ue Pauli atque Barnabæ conſcidentiú tunicas ſuas,
cum viderent honorem diuinum ſibi deferendum eſſe, ſuam ipſorum
malitiam ſiue inſcitiam egregiè produnt. Nam certo cóſtat ſacerdotem
Iouis,& turbas voluiſſe Paulo & Barnabæ ſacrificare, exiſtimantes eos
I.cont.Vigil. c.2. diuinitate prædito.In eodem etiam errore fuiſſe Cornelium, ſcribit D.
Hieronymus contra Vigilantium; ac proinde optimo iure Apoſtoli
ſancti hunc honorem recuſarunt, quem ſine ſcelere non potuerunt ad-
in c.10. Act. mittere. Chryſoſtomus verò exiſtimat Petrum ex humilitate recuſaſſe
illum cultum, quem certè oblatum ſibi potuiſſet à Cornelio accepiſſe;
non diuinum honorem, ſed alium quendam, qui creaturis Sanctitatis
ergo poteſt exhiberi.

60. His aduerſariorum ſublatis machinis, progredimur in cultu Sanctorum confirmando. Atque id concedant Nouatores, neceſſe eſt (ſi Chriſtiani eſſe cupiant) Sanctos noſtros cum Chriſto in cælis regnare, (non enim vſque adeo cæci ſunt, vt vel mortuos, vel dormientes ſepulchris incluſos eos recumbere exiſtiment) quid ni ergo ſimiliter dent à nobis venerandos eſſe? nam ſi in terris non modo legatos, ſed ſeruos etiam, mancipia, atque adeo iumenta principum magniſacimus, & eo ſolú nomine, quia Principum ſunt, reuerentius tractamus, ſiccine erimus inſolentes, vt putemus filiorum ac hęredum Dei, cohęredum Chriſti, nullam eſſe habendam rationem, nullum honorem illis impẽdendum? admiſsi ſunt in conſortium Angelorum, adepti ſunt repromiſsionem, coronati triumphant in cælis, & indigni erunt qui honorentur in terris?

Pſal. 138. 61. Dauidi, *nimis honorificati ſunt amici Dei, nimis confortatus eſt principa-*
Ioan. 15. *tus eorum*; Chriſtus adhuc in terris verſantes Apoſtolos, *non ſeruos vocat, ſed*
Ioan.12. *amicos. ſi quis mihi miniſtrauerit*, ait Chriſtus, *honorificabit eum pater meus*; amici
ergo Dei ſunt ſerui Chriſti, & à patre honorantur in cælis, vt intelligas à
nobis quoque venerandos in terris; æquum vtique eſt, vt ſeruus eos ve-
neretur in terris, quos dominus ipſe non modo in terris, ſed etiam in cę-
lis tanto honore dignatus eſt.

Act. 9. 62. Paulo Eccleſiam perſequenti, dictum eſt à Domino, *Saule, Sau-*
Luc.10. *le, quid me perſequeris?* & Apoſtolis dixit Dominus, *qui vos ſpernit, me ſpernit*,
Aug. ſerm. vt intelligas quod quemadmodum Sanctos & amicos Dei perſequi, eſt
26. de San- Dei amicitiam violare; ita cótra eoſdem honorare, eſt Deum ipſum ho-
ctis ſic argu- nore afficere; hinc iubemur à Propheta, *laudare Dominum in Sanctis eius*, nec
mentatur;
& epiſt.64 immerito, quia *glorioſus Deus in Sanctis ſuis*.

Pſal. 67. 63. Tantum honoris tribuit Chriſtus Apoſtolis ſuis, vt non modo
Matth.19. ſeſſuros illos dixerit ſuper ſedes duodecim, ſed etiam iudicaturos duo-
decim tribus Iſraël, idq́ue ſine poteſtatis ſuæ præiudicio; & ſeruus dedi-

gnabitur

gnabitur eos iudices vocare, vt illuſtres Dei teſtes venerari, & vt inui-
ctos athletas in terris honorare? Teſtatur Paulus Dominum venturum *2. Theſſ. 1.*
glorificari in Sanctis ſuis, & admirabilem fieri in omnibus, qui credide-
runt; An nō hoc videmus impletum in Eccleſia Chriſti, in qua Dei ad-
mirabilis virtus, bonitas, & maieſtas per vniuerſum terrarum orbē ma- *Chriſo. orat.*
nifeſtatur in Sanctis ſuis, dum Reges & Monarchæ mundi Chriſtū præ- *in Babyl.*
dicant, ſuſpiciunt, & venerantur ad ſepulchra Apoſtolorum, Martyrū,
& amicorum eius?

64. *Qui vicerit* (inquit ſpiritus Dei) *& cuſtodierit vſque in finem opera* *Apoc. 2.*
mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas
figuli confringentur, ſicut & ego accepi à patre meo, & dabo illi ſtellam matutinam.
quibus verbis monſtratur, tantum honorem tribuere Deum, nō ſolum *Leo Papa*
Angelis, ſed etiam ſanctis hominibus, vt gubernent prouincias, & homi- *ſerm. de Pe-*
nes regant cum poteſtate, & dignitatis amplitudine, idque ſine honoris *tro et Paulo.*
diuini imminutione; ex quibus licet inferre, nos non dedecere eos, vt *Ambroſi. de*
iudices venerari, vt gubernatores honorare, vt amicos Dei colere, quos *viduis.* *Baſil. ſer. de*
Dominus noſter tanto dignatus eſt honore; quin imo liberè, voce & *40. martyr.*
opere inclamare debere, *ſic honorandum eſſe, quemcumque voluerit rex honorare.* *Greg. Niſſe-*

65. Reſpondent Euangelici; ſoli Deo extra hanc vitam deberi ho- *nus orat. de*
Teodoro.
norem atque gloriam; ſic Paulus, *Soli* (inquit) *Deo honor & gloria*, exclu- *Eſther c. 6.*
dens omnem Sāctorum cultū ac venerationem; verùm ſi libet ita verba
ſumere vt ſonant, profectò nulli omnino præter Deum erit honor ex-
hibendus; dicit enim ſcriptura, *ſoli Deo honor & gloria*; explicent ergo ad-
uerſarij alia ſcripturæ loca, quibus datur *honor & pax omni operanti bonum*, *Rom. 2.*
iubemur parentes honorare, dominis ſeruire, nos metipſos inuicem ho-
nore præuenire, & id genus alia, quæ ſupra attulimus. Quòd ſi dicant *Theſi. 42.*
his in locis de cultu tantum ciuili agi, non autem religioſo, quem im-
pugnant; ſciant primùm Apoſtolum velle, ſoli Deo honorem impendi,
nec diſtinctionem hanc cultus ciuilis & religioſi commemoraſſe; dein-
de ſupra docuimus cultum religioſum ſanctis hominibus, approbante, *Theſi. 54.*
atque adeo commendante ſcriptura, attributum fuiſſe.

66. In hanc noſtram ſententiam, omnes quotquot vnquam fue-
runt Catholici doctores, atque Eccleſiæ lumina conceſſerunt, vnaque
voce non ſolum docuerunt populum Chriſtianū Sanctos colere atque
venerari, ſed ipſi etiam inſigni quadam pietate ac religione coluerunt,
vt ex locis hic citatis facile patebit. *Iuſtinus martyr Apol. 2. Eccleſia Smyrnenſis*
apud Euſebium l. 4. hiſt. c. 15. Baſil. in orat. in mamantem martyrem, & in orat. de 40.
martyribus. Gregorius Niſſenus in Theodorum martyrem. Epiphanius hær. 79. Chriſo-
ſtomus orat. de S. martyribus Alexandro & Iuuentio. Cyril. l. 6. cōtra Iulianum. Theo-
doretus l. 8. Græc. affect. Cyprianus l. 4. epiſt. 5. & alij qui inferius citantur.

 67. Nec

67. Nec ſanè tacendum eſt, quod plurimum ad huius veritatis cõfirmationem facit, Iudæos olim grauiſsimum idololatriæ crimen, vel eo nomine Chriſtianis obieciſſe, quòd ſanctos viros hac vita, Chriſti cauſa piè defunctos, debito venerationis cultu proſequerentur, vt ſcribit Euſebius in hiſtoria glorioſiſsimi martyris Polycarpi: quod etiam ſcelus Gentiles pari odio cum Iudæis Chriſtianos inſectati, noſtris hominibus nunquam obieciſſent, niſi percepiſſent illos ſanctis hominibus piè in Chriſto mortuis, venerationis cultum atque honorem tribuiſſe.

Euſ. l. 8. c. 6. & l. 5. c. 3. Aug. l. de cu. pro mortuis. cap. 3.

68. Nec cultui ſibi gratiſsimo defuit diuina virtus atque potentia, quæ notiſsimis miraculis eundem confirmaret: ſiquidem voluit, vt non Chriſti tantum, ſed etiam Pauli nomine dæmones eiicerentur, atq; etiam Hilarionis aliorumque plurimorum. Eoſque præterea qui diuos & cultum hunc diuorum irriſionibus ac conuiciis impetiuêre, grauiſſimis pœnis affecit; ex quibus, vnum libet hoc in loco referre, quod à Nicephoro Calixto in ſua hiſtoria commemoratur.

Act. 19. Hiero. in vita Hilarionis Chriſoſto. in vita Babylæ. Niceph. l. 8. hiſt. c. 33.

Græci quidam ſiue gentiles in cuiuſdam domo conuiuantes, & vino ſeſe inuitantes, poſt prandium ſimulatque ſatis adbiberant, blaſphemare & conuiciis proſcindere verbi matrem cœpere: poſtremum hoc compotationi adhibentes ſtudium, vt quæcunque aliquis eorum excogitare poſſet, abſurda atque indigna per ea ridens, œconomiæ & diſpenſationis ſalutis noſtræ myſterio illuderet. Impietas ea poſt quam innotuit, illi quidem condignas petulantis linguæ pœnas dedêre. Aedium autem, in quibus confidentes graui blaſphemiæ indulſerant, dominus à ſacris noſtris non alienus, tum quidem, quod res ita tulerit, periculum effugit. Non multo verò poſt, noctu ei dormienti in ſomnis Dei genitrix aſtitit, cui diligentius, ecquid ſe, quænam eſſet, noſſet, percunctanti: poſt quam ipſe, noſſe ſe eam profeſſus eſt: illa ei contumeliarum indignitatem in memoriam reuocauit. Tũ ille miſer ſupplex illi eſſe, veniamque delicti petere: & ne tam cito morte mulctaretur, ſed tempus ei pœnitentiæ relinqueretur, orare. Illa, daturam hoc ſe ei, neque in præſentia ipſum ita morte pœnas luiturum, promittere: vimine autem, quod manu geſtare videbatur, genua eius circumcirca veluti exarans, circumſcribere. Id vbi factum, auolans, ei poſtea non apparuit. At ille ſomno diſcuſſo, membra ea, quæ vimine notata fuerant, ſtatim ab reliquo corpore diſrupta inuenit, recenti ſanguine profluente. Et in publicum productus, iuſtum omnibus iudicium promulgauit. Qui verò id audierunt, laudes Deo, propter tam inopinatum miraculum, cantarunt. Matrem Dei itidem celebrarunt, quæ ita ſemper Chriſtianorũ genus tuetur, quæque nouo quodam modo affectionem erga nos ſuam, quamuis præter naturam eius ſit, vt quenquam puniat, vi quadam adacta oſtenderet, vt ſcilicet religio nobis ſtabilis & firma eſſet.

69. Quid, quòd Eccleſia Chriſti Catholica omnium antiquorum calculis, eos veluti hæreticos auerſata eſt, atque adeo condemnauit, qui hunc diuorum cultum impugnarunt vt Vigilantium, Claudium Taurinenſem, Petrobruſianos, Henricianos, Apoſtolicos, VValdenſes, VVicleffum, Taboritas, & id genus alias peſtes & folles iniquitatis olim Satanæ traditos; noſtra verò tempeſtate eandem hæreſim, vt omnes ferè alias reuocantes, grauiſsima cenſura anathematizauit ſacra ſynodus Tridentina, Lutherum nimirum, Caluinum, & ſectatores ipſorum.

70. Poſtremo notum eſt omnium temporum monumentis, & nos infra docebimus, Sanctos cum Chriſto regnantes, in Eccleſia Catholica

a fuiſſe ſemper inuocatos, eorum reliquias ſummo honore habitas, templa in honorem Dei, ac Sanctorum eius erecta, votaque iiſdem nuncupata, tum etiam ad ſepulchra & memorias eorum, ab omni genere hominum peregrinationes inſtitutas eſſe; quæ qui præſtant, aliud profecto nihil, quam factis ipſis diuos ſe venerari ac colere declarant.

71. Adde his ſi libet, quòd quemadmodum miniſtri Satanæ, inſignem operam olim in martyrum reliquiis diſperdendis, eorundemque memoriis funditus abolendis nauarunt, ita econtrariò pij Chriſti cultores egregiè laborarunt, vt eaſdem colligerent, & in pacatiora tempora, ad communem Eccleſiæ vtilitatem conſeruarent; id quod non modo à vulgaribus Chriſtianis, ſed à ſummis Eccleſiæ luminibus, Chriſtianique populi ducibus, factitatum legimus. Sic reliquiæ Policarpi, Ioannis Baptiſtæ, & aliorum ſunt conſeruatæ.

Euſeb. lib. 8. hiſtor. c. 6. & li. 5. c. 3. Theodor. l. 3 cap. 6. Ruffinus li. 2. c. 27. 28. Platina in vita Cornelij et Stephani. Mar. Scot. l. 2. chron. Euſ. l. 4. c. 15 Ruffinus loco citato.

CAPVT IIII.

In quo docetur Sanctos cum Chriſto regnantes intelligere, quæ apud nos in terris geruntur.

72.

EO plerumque noſtri huius ſæculi Nouatores errore tenentur propemodum omnes, vt ſanctos diuoſque cælites, qui beatiſsimum cum Chriſto æuum tranſigunt, nihil eorum, quæ hic à nobis in terra geruntur, percipere arbitrentur, ſed veluti à noſtro contubernio ſubductos, omne etiam, quod iis cum mortalibus quondam interceſſerat commerciũ, (quantum, inquiunt, coniecturis aſſequi licet) eos deſeruiſſe. Nam vſq; adeo apud eius ſortis homines, maledicentiæ ac calumniarum ſtudium increbuit, vt non omnia modò hic in terris turbare, & ſumma infimis miſcere, ſed in cælum etiam, (vt Propheta canit) os ponere; imò Gigantæum illud prælium inſtaurare conentur. Sed quàm fruſtra, deinceps oſtendemus.

Caluinus l. 3. inſtit. c. 15. §. 18. Heſhuſ. in l. error Pontif. Confeſ. Vuirtenbergenſ. Gul. Radingus cõt. ſcholas Ieſuitar. Pſal. 72.

73. Nos itaque, vt quod ceptum eſt proſequamur, docebimus primùm non modò Angelos beatos, ſed cæteros etiam cælites preces hominum exaudire, ac neceſsitates rectè percipere: deinde quanam ratione, & modo res illi noſtras intelligant, ex patrum ſententia explicabimus.

74. Fatentur aduerſarij, nec negare ſi ſcripturæ ſacrę fidem tribuant, id auſint, Angelos beatos, non modo vota hominum audire, bonaque opera intueri, ſed eadem etiam Deo opt. max. tanquam fideles patronos Tob.c.12. offerre. *Quando orabas cum lachrymis* (ait Angelus Tobiæ) *& ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino*; *Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ* (ait alActor.10, ter Cornelio) *aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Data ſunt præterea An-* Apoc, 8. Apoc.c.5. *gelo incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorũ, de manu Angeli coram Deo. Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes* Zachar.c.1. *Sanctorum.* Angelus præterea alius quiſpiam, *Domine* (inquit) *exercituum, vſquequo non miſereberis Ieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es, iſte iam ſeptuageſimus annus eſt?* cognouerunt ergo ſancti Angeli, quid Tobias, Cornelius & cæteri mortales rerum agerent, cum hæc alioquin nullatenus præſtitiſſent. Præterea cur ſingulis hominibus ſingulos Angelos præfe- Matth.18. cit Deus, ſi hominum acta non percipiunt? Quòd ſi igitur Angeli nos, & noſtra vident, & illis ſimiles ſint beati homines in cęlis, ratio profectò dictat hos etiam rerum noſtrarum conſcios eſſe.

75. Nec celabimus, quod ad hæc reſpondet Caluinus. *Si Angelis* (in- Cap.15.Inſt. §.17. quit) *ſanctos præſenti vita defunctos cõferre libet, probandum fuerit eſſe adminiſtratorios ſpiritus, quibus delegatum ſit miniſterium curandæ noſtræ ſalutis, quibus demandata ſit prouincia cuſtodiendi nos, &c.* Erras Caluine, ſi propterea Angelis ſanctos in omnibus conferendos arbitraris, quod noſtras orationes ac neceſsitates pari modo intelligant, atque pro nobis orent; ſufficit enim quoad præſentem difficultatem, quod ſimiles ſint in beatitudine, ac Matth.22. charitatis affectu: nec enim Chriſtus, cùm diceret, *in reſurrectione neque nubent neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli Dei*; ideo probare voluit nuptias in cælo non futuras, quod homines exuerent ſubſtantiam corpoream atq; humanam, ſicque euaderent ſimiles mentibus illis puriſsimis; ſed quia ſint depoſituri omnes conditiones corruptibiles, quandamq; immortalitatem Angelorum ſimillimam ſuſcepturi. Quemadmodum ergo charitas illa, qua beati Angeli præditi ſunt, eos ad noſtras res iuuandas impellit, ita ſancti Dei homines ſimili charitate ac gloria imbuti, de noſtris rebus non poſſunt non cogitare.

76. Præterea ſi vnicuique noſtrum eſt cura demandata proximi ſui, & ſanctiſsimi illi viri vſqueadeo ſoliciti fuere de ſalute noſtra, vt pro ea ſanguinem propriam effundere non dubitarint, credi profectò vix poteſt illos noſtri curam in cælis vel depoſuiſſe, vbi & vitæ noſtræ pericula habent perſpectiora; vel rerum noſtrarum ignorantia laborare, 1.Pet.2. cum alioquin Petrus non dixiſſet, *dabo operam & frequenter habere vos poſt*

obitum

obitum meum, vt horum memoriam faciatis; quibus verbis ſignificat ꝙ quẽadmodũ in vita non omitteret reuocare iis in memoriam ea, quę antea docuerat, ita poſt mortem ſe effecturum orationibus apud Deum, vt fideli memoria eadem retinerent.

77. Qui ſenſus non ſolum conuenit ſcholiis Gręcis, ſed etiam ſanctiſsimorum virorum conſuetudini, atque adeo ipſius Diui Petri promiſsioni. hic enim cum adhuc in viuis eſſet, pollicitus eſt D. Clemẽti ſe poſt mortem pro eo oraturum. Sic Potamiæna virgo ſacra Baſilidi, inquit, *certus eſto. quod cum abiero ad Dominum meum, ſine mora huius tibi remunerationem parabo.* Ad eundem modum Cyprianus & Hieronymus hortantur Sanctos, vt ſui memores ſint poſt hanc vitam; quod nunquam feciſſent, ſi illos poſt mortem rerum noſtrarum omnem depoſuiſſe curam credidiſſent.

Oecumen. in 1. Petr. 1.
Clem. ep. 1. ad Iacobum fratrem Domini.
Euſeb. l. 6. hiſt. c. 5.
Cyp. ep. 57. in fine. & l. de diſcip. & habitu virginum.

78. Nec ſolum Angeli, ſed etiam beatorum hominum mentes, fratrum ſuorum neceſsitates intuentur, eiſque pro virili ſuccurrere conantur. Hinc Onias viſus eſt, *manus protendere, ac pro omni populo Iudæorum orare.* Ieremias pari modo dexteram extendiſſe legitur, *& dediſſe Iudæ gladium aureum; dicens, Accipe ſanctum gladium, munus à Deo, in quo deiicies aduerſarios populi mei Iſraël.* At hoc Iudæ de Onia *ſomnium*, *vt ſomnium prætermittunt* noui noſtri ſomniatores, qui reuera ſomniare cenſeri debent, dum non vident, per ſomnium multa in ſacris literis reuelata eſſe, & inter alia hoc Iudæ ſomnium, quod tamen non exiſtimant fide dignum, licet id ſcriptura cõmemoret, quam ſanctiſsimi quiq; patres, & eccleſia Chriſti Catholica pro canonica habet, & euentus ipſe, non figmentum fuiſſe docet; nam Iudæorum animos plurimùm ex huius ſomnij narratione fuiſſe erectos, vt fortiter pro patria, ciuitate ſancta, & tẽplo dimicarent, cõſtat.

Hier. ep. 1. ad Heliod.
2. Mach. 15.
Apol. Cõfeſſionis et Vuhitakerus in reſpon. ad 1. rationem Campiani.

79. Ad hæc, ſi beati illi ſpiritus, quid hic apud nos geratur, haud intelligunt, quorſum Eliphas Themanites ſanctiſsimum virum Iob, ad Diuorum inuocatiõnem prouocabat? *Voca* (inquit) *ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Nec ſane dubium eſt, citra monitorem hoc ipſum antea Iob feciſſe, ſiquidem illud, *miſeremini mei, miſeremini ô vos amici mei, &c.* D. Auguſtinus ad Angelorum, vel Diuorum inuocationem pertinere exiſtimat *Angelos* (inquit) *vt pro ſe deprecentur, aut certe Sanctos, vt pro pœnitente orent, videtur poſtulare.*

Iob. c. 5.
Cap. 19.
Aug. in annotat. in cap. 19. Iob.

80. At magnum, inquiunt, inter nos in ſublimari hoc orbe conſtitutos, & Sanctos ſupra omnes cælos mobiles euectos, ſpacium interiectũ eſt, quod impedit quo minus abditæ animi cogitationes, orationes, & cætera facta noſtra ad eorũ cognitionem perueniant; verùm hoc quam nihil obſtet, hinc perſpicuum eſt; nam ſi Abraham Epulonem illum inter quos tamen magnum chaos firmatum erat, interno tantum mentis

Luc. 16. Greg. lib. 4. mor. c. 33. 4. Reg. 5. 4. Reg. 6. Act. 5. Act. 7. Aug. l. 5. de ciu. c. 26. & l. de cura pro mort. c. 17.

ſuſurro clamantem, exaudire; ſi non ſolum Angeli, ſed & mortales ſæpè homines, quæ per longiſsima locorum interualla in occulto geruntur, & futura quod maius videtur, indubitata fide enũciare; ſi Elizæus puerum ſuum Gieſi, cum Naam Syro negociantem, veluti coram aſtantem videre; idemq́; arcaniſsima Regis Syriæ conſilia, quæ ſecretò cum ſeruis ſuis contra Iſraëlem moliebatur deprehendere; ſi Petrus princeps Apoſtolorum, occultam Ananiæ & Saphiræ conſpirationem internoſcere; ſi Stephanus in Iudæorum concilio conſtitutus Ieſum ſtantem à dexteris Dei videre: denique, ſi Ioannes Monachus, & alij potuerunt futura prędicere, certè non erit difficile intelligere, quo nam pacto mortalium preces & res geſtæ ad beatorum aures peruenire valeant.

Lib. de virginitate. In vita Gregor. Nazian. Amb. lib. de viduis. & ſerm. 77. de nat. S. Octauij, &c.

81. Hæc ſententia eſt Baſilij magni, *Virgo* (inquit) *ſe ipſam primùm, conſcientiamq́; ſuam reuerebitur, etiamſi valde ſit ſola, deinde aſtantem ſibi cuſtodem Angelum.* Et paulò poſt, *Quid* (inquit) *per ſingula pergam? ipſas Angelorum infinitas multitudines, & vna patrum beatiſsimos ſpiritibus reuerebitur: nullus enim ex his eſt, qui non ſingula vbique conſideret.* Gregorius item presbyter ſcribit Sanctos lætari, ſi quando pro donis Dei ab hominibus laudentur. Ambroſius, *etiam obſecrandi ſunt* (inquit) *Angeli pro nobis, obſecrandi martyres, iſti ſunt noſtri præſules, & ſpeculatores vitæ actuumq́;.*

Libr. de cognitione veræ vitæ cap. 39. & c. 9. ca. 15. & 16.

82. *Animæ* (inquit Auguſtinus) *non clamorem vocis, ſed cordis audiunt, & ſe fideliter inuocantibus, ſubueniunt. Cùm ergo animæ noſtræ aliquid ſecundum Deum deſiderant, & hoc ſibi à Deo per Sanctos dari ſiue corde, ſiue lingua, ſiue voce poſtulent, animæ Sanctorum, quibus idem eſt audire quod videre, & econuerſo, non voces, ſed verba intuentes, deſiderata eis à Deo impetrant.* Præterea in libr. de cura pro mortuis explicat modos quoſdam, quibus Sancti valeant in cognitionem rerum noſtrarum deuenire. Gregorius Romanus, *Animæ* (inquit) *Sanctorum, quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid, quod ignorent.* Et iterùm, *Quia* (inquit) *illic omnes communi claritate Deum conſpicuunt, quid eſt quod ibi neſciat, vbi ſcientem omnia ſciunt?* Nazianzenus, *Archiſacerdos* (inquit) *noſter in cælis degit, vbique pro nobis, pro ciuitate ſua, pro populo ſacrificia offert, ac pro nobis omnibus, quorum gerit curam orat; licet enim nos reliquit, non tamen animo & patrocinio reliquit.*

Lib. 12. mor. c. 12. Lib. 4. dial. c. 33. Grego. Naz. orat. 8.

Li. 2. de ſacr. p. 16. ca. vlt. Prudentius hymno in S. Eulaliam. et in S. Caſsianum. et in S. Hippolytũ.

83. His adiungendus eſt Hugo, *Non* (inquit) *eſt incredibile animas Sanctorum, quæ in abſcondito faciei Dei, veri luminis illuſtratione lætantur, in ipſius contemplatione, ea quæ foris aguntur, intelligere, quantum vel illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium pertinet. Sicut enim Angeli, ita & Sancti, qui Deo aſsiſtunt, petitiones noſtræ innoteſcunt in verbo Dei, quod contemplantur.* Hugoni aſtipulantur cæteri ſcholæ doctores, atque illuſtres viri: imò patres vniuerſi, qui docent Sanctos inuocandos eſſe, vt ſequenti capite oſtendemus: quod

quod ſane nunquam aſſeruiſſent niſi probe intellexiſſent eos noſtras preces exaudire.

84. Quod ſi earum rerum, quæ in hoc noſtro ſublunari orbe geruntur, notitiam omnem Diuis adimamus, dicant præclari ſcripturarum interpretes noui, quomodo *gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiã agente*, cũ gaudium ſequatur cognitionẽ rei, de qua gaudem⁹? *Luc.15.* *Au.l.de cog. veræ vitæ. c.39. Aug.l. de cura pro mortuis c.15. Grego. l. 12. mor.c.12. & l. 4. dial. c. 33. & Hugo l. 2. de ſacra. p. 16. c. vlt. D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 4.*

85. Cæterùm, ſi modum cupis intelligere, quo ſanctæ ac beatæ mẽtes res humanas percipiant; fatemur equidem rem eſſe explicatu difficilem, non tamen creditu impoſsibilem, maxime cum doctiſsimorum pariter, ac ſanctiſsimorum patrum hac de re certas atque conſtantes habeam⁹ ſentẽtias; ſiquidẽ fatentur omnes, nos & ſtudia noſtra diuis eſſe ꝓbè ꝑſpecta. Proinde ſiue corã ꝓſentes noſtra percipiãt beatæ mẽtes, ſiue ex relatu Angelorũ, ſiue ex reuelatione ipſius Dei, ſiue in ipſa eſſentia diuina, quam intuentur, parũ iuuat curioſius inquirere; cùm ſint hęc myſteria ſublimiora, quam quæ noſtræ mentis anguſtiæ capere poſsint.

86 Satis itaque nobis id eſſe debet, quod ſanctorum ſpiritus intelligant quid hic in terris geramus, noſque ſuis iuuent orationibus, nec ita certis alligatos eſſe ſedibus, quin poſsint ſuis ſi volunt adeſſe cultoribus. *Tu* (inquit Hieronymus) *Deo leges pones? tu Apoſtolis vincula inÿcies? ne ſint cum Domino ſuo? de quibus ſcriptum eſt, ſequuntur agnum quocunq; ierit. Si agnus vbique, ergo & hi, qui cum agno ſunt, vbique eſſe credendi ſunt.* Gregorius etiam Niſſenus hunc in modum alloquitur Theodorum martyrem, *Tu verò huc iam ades ad nos, vbicunque tandem fueris, vt diei feſto præſis, veni ad nos qui te honorant.* Maximus Taurinenſis, *Licet vniuerſi* (inquit) *Sancti vbique ſint, & omnibus proſint, ſpecialiter tamen pro nobis interueniunt, qui & ſupplicia pertulere pro nobis; ſemper enim nobiſcum ſunt, nobiſcum morantur, hoc eſt, & in corpore nos viuentes cuſtodiunt, & de corpore recedentes accipiunt;* hic ne peccatorum nos labes aſſumat, ibi ne inferni horror inuadat. Sancti ſi volunt nobis adeſſe, poſſunt. *l. cõt. Vigil.* *In orat.* *In natali Taurinorum martyrum.*

87. At ſubducti (inquiunt aduerſarij) è communi hoc noſtro contubernio, tam diſsitis in locis agunt, vt exinde nullum nobiſcum habeant commercium. Credo equidem beatos illos ſpiritus nullum vobiſcum habere, aut habituros commercium, qui ſacrilegè ſcidiſtis eccleſiam Chriſti, illaque deſerta, noua conuenticula, & ſynagogas more hæreticorum inſtituiſtis, cum quibus Sancti Dei nihil habere volunt commune; eos enim vt fratres agnoſcere non poſſunt, qui vnam matrem omniũ eccleſiam ſanctam (cuius filij ipſi ſunt,) diuidunt, atq; dilaniãt; at verò nos, qui in Catholica eccleſia Dei beneficio educamur & viuimus, credimus atq; profitemur communionem quandam eſſe inter membra illa glorioſa triumphãtis eccleſiæ, & nos, qui in ſtadio mortalis vitæ currimus ad coronam propoſitam.

88. Ad hæc, ſi propterea putent aduerſarij, nihil nobis prodeſſe Sanctos Dei, nec res mortalium illis eſſe curæ, quia ex communi hac habitatione, ad alium locum tranſlati ſunt; pari ratione concludent, nec Angelos, imo nec Chriſtum ipſum quicquam cognoſcere de ſtatu noſtro, aut nos iuuare, quia ex hoc contubernio noſtro, in beatiſsimum illud cæli domicilium commigrarunt. Sed friuolæ & vanæ ſunt iſtiuſmodi argutiæ, aptiores ad populo imponendum, quàm veritatem impugnandam.

89. Verum ne ludere plane videantur homines ridiculi in re grauiſsima, & ſuis tantummodò inniti cauillis, ex ſcripturis ſacris, patrūq; monumentis hinc inde corraſa quædam fragmenta nobis obtrudunt.

4. Reg. 22. *Colligam te* (inquit Dominus Deus ad Ioſiam) *ad patres tuos, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus ſum ſuper locum iſtum.* Item,

Iob 14. v. 21 *Homo mortuus, ſiue nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles, non intelliget.* Item,

Eccl. c. 9. v. 5 *Mortui nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem.*

Eſa. 63. v. 16 Et Eſaias ſic inducit populum Iſraëliticum Deum alloquentem, *Tu enim pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſraël ignorauit nos.*

De cura pro mortuis c. 13. Hinc Auguſtinus, *Si tanti* (inquit) *Patriarchæ, quid erga populum ex his procreatum ageretur, ignorauerunt, quibus Deo credentibus, populus ipſe de illorum ſtirpe promiſſus eſt; quomodo mortui viuorum rebus atque actibus cognoſcendis adiuuandiſq; miſcentur?*

Proteſtantes in colloquio Ratiſbonenſ. artic. de Sanctis. Confeſsio VVirtēberg. 90. Præterea directa inuocatio abſentis, tribuit omnipotentiam ei qui inuocatur; ſiquidem vota cordium exaudire in ſingulis, opus eſt ſolius Dei. Ad hæc ratio poſtulat, vt is qui rogatur, vbiq; ſit præſens vbi rogatur; quæ ſane res ſolius Dei maieſtati conuenit: nulla ergo ratione poteſt dici Sanctos nos exaudire, cum nec omnipotentiam ſibi vſurpent, nec vbique præſentes ſint.

91. Nihil noui adferunt aduerſarij, quod non à doctiſsimis maioribus noſtis multo penſiculatius fuerit æſtimatum, & longe ante ab eccleſiæ ceruice repulſum. Illud itaque quod in libro Iob inuenitur, quomodo accipiendum ſit,

Lib. 12. mor. c. 13. D. Gregorius explicat, *Hoc* (inquiens) *de animabus Sanctis ſentiendum non eſt, quia quæ omnipotentis Dei virtutem, vel claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quod ſit foris aliquid, quod ignorent. Sed carnales quique, quia amorem præcipuum filiis impendūt, hoc eos beatus Iob neſcire poſtmodum aſſerit, quod hic vehementer amauerunt.* Hinc patet ſenſum ſcripturæ eſſe, tales homines carnales non naturaliter ſcire, quid poſt mortem à ſuis agatur, nō autem negare Sanctos cū Chriſto regnantes intueri facta noſtra.

92. Nec mirum ſane, ſi Ioſias, Abraham, & Iſraël non cognouerint, quæ à ſuis gererentur, cum eo tempore, quo hæc de illis ſcripta fuerint, Dei conſpectu illorum animæ non fruerentur. Præterea Ioſias mortuus dicitur nō videre mala noſtra, quoniam nihil amplius inde patiebatur,

ſiquidem

ſiquidem Deus abſterget omnem lachrymam ab oculis iuſtorum ſuorum, & mors v!- Apoc. ca. 21.
tra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra. Abraham etiam & v. 4.
Iſraël neſcierunt Iudæos, quia eos vt germanos ſuos filios non agnoue-
runt, propter improba ea facta, per quæ degenerarunt à paterna pietate. Ioan. 8.
Loquitur enim ſcriptura de ſcientia approbationis. Ad quem modum
Chriſtus videtur negare Iudęos eſſe filios Abrahę, quia opera Abrahę nõ
faciebãt. Ad aliud ex Eccleſiaſte dicimus, illos nihil amplius naturaliter
cognoſcere, quemadmodum cum in hac vita degerent, cognouerunt;
poteſt etiam his id adiungi, ſententiam videlicet illius loci eſſe, quod
qui moriuntur in peccato, nullam amplius norint rationem, qua per
pœnitentiam conſequantur vitæ æternæ mercedem.

93. Ad Auguſtinum porrò quod attinet, manifeſtum eſt illum
fuiſſe eius ſentẽtiæ, vt mortuos naturaliter nõ ſcire, quæ apud nos gerũ-
tur exiſtimaret, non autem ſimpliciter voluiſſe omnem cognitionem
eis eripere, nam non ſolum fatetur *eos audire ab illis, qui hinc ad eos moriendo* In principio
pergunt quid hic agatur, ſed etiam, *quæ neceſſarium eſt eos noſſe, & quæ neceſſarium* c. 15. l. de cu-
non eſt eos non noſſe, non ſolum præterita, vel præſentia, verumetiam futura, ſpiritu ra pro mort.
Dei reuelante cognoſcere. Et poſtea, *Non igitur ideo putandum eſt, viuorum rebus*
quoslibet intereſſe poſſe defunctos, quoniam quibuſdam ſanandis, vel adiuuandis mar-
tyres aſſunt: ſed ideo potius intelligendum eſt, quod per diuinam potentiam martyres In cap. 16.
viuorum rebus interſunt, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus in-
tereſſe non poſſunt. Illud etiam conſtat Auguſtinum, quod dixerit contra
Sanctorum notitiam, non pro definito & certo, ſed quaſi fluctuanti du-
bioq; animo tradidiſſe, & lectoribus ſuum iudicium in re difficillima
quam ille *agnoſcit vires intelligentiæ ſuæ ſuperare* liberum reliquiſſe.

CAPVT QVINTVM, DE Sanctorum inuocatione.

94.

CIrca Sanctorum inuocationem, non eſt magnopere nobis a Hier. cont.
laborãdum, vt quis nam fuerit eius impugnator primus, Vigilãtium.
oſtendamus, cum illud vnum pateat, omnes quotquot b Centur.
huic Diuorum cultui ſe oppoſuerunt, veluti hæreticos c Ion. Au-
ab Eccleſia Chriſti Catholica pronunciatos atque proſcri- relia. l. 3. de
ptos eſſe, vt [a] Vigilantium, quem [b] Magdeburgenſes ingenuè fatentur cul. imaginũ.
ſuum in ſanctorum oppugnatione fuiſſe parentem; [c] Claudium Tau- d Bern. ſerm.
rinẽſem [d] Petrobruſianos, Apoſtolicos, [e] VValdenſes, [f] Catharos, [g] VVi- 66. in Cant.
cleffum, [h] Taboritas, [i] Luterum & Caluinum cum grege ſuo, cũ mol- & in vita
Bern. l. 3. c. 5
e Anto. 4. p.
ſummæ titu.

 lium,

11. c. 7. §. 2. f *Turrecrem. l. 4. ſummæ de eccleſ. p. 2. c. 75.* g *Thom. VValdenſ. tom. 3. de ſacr. tit. 12.* c. 108.
h *Æneas Syluius c. 25. de ortu Bœmorum.* i *Concil. Tridem. ſeſſ. 25.*

liũ, tũ rigidorũ Caluinopapiſtarũ, ſcilicet & Puritanorũ ſiue Bezaitarũ, Vnctorũ, & cęterorum omniũ, qui in hac parte eccleſiam impugnarunt.

k Apol. Conſeſſ. Aug. l Calu. c. 15. §. 15. inſtit. Diſput. Tub. habita de inuoc. Sãctorũ concl. 12. 18. 27. & 28. m Caluinus. n Apol. conf. Auguſtan. Magdeburg.

95. Quoniam verò in hac vna quæſtione, ſi in vlla alia, & mentiendi & maledicendi licentia ſunt grauiter vſi aduerſarij, operæ pretium erit paucis complecti, quid nobis affinxerint, vt fabulas quas excogitarunt, populo redderent gratiores; primùm itaq; [k] ſcribunt nos, neſcio quam diuinitatem tribuere Sanctis, quòd ſcilicet putemus eos tacitas noſtras cogitationes cernere; [l] deinde Chriſto præterito nos Catholicos ad reconciliandum Deum, merita obtrudere Sanctorum. pluſque fidei in diuos quàm in Deum ipſum collocare. [m] tertiò nos inuocare Sanctos, tanquam Deos noſtros.

Chemnicius in Conc. Tri. Diſputa. Tubingæ habita de inuocatio. Sanct. Conc. 11. & 57.

96. Quartò [n] nullum ſcriptorum veterum, ante Gregorium pontificem eius nominis primum, huius inuocationis mentionem feciſſe. Quidam verò putant originem habuiſſe à quingenteſimo, poſt Chriſtũ natum, anno. Alij porrò, paulo (vt videtur) oculatiores, veriti fortaſſe, ne manifeſtò conuincerentur mendacij, ſi apertè id quod ſentiunt de re propoſita enunciarent, cautiùs aliquanto ſcribunt, ante tempora Auguſtini diuorum auxilium in ſacrificio miſſæ non fuiſſe imploratum. Verum vt infra docebimus, hi nõ minus quàm cæteri cæcutiunt, ſua mq́ ignorantiam produnt, ſimul & mentiendi libidinem. Quintò aiunt nos quicquid tandem comminiſcamur diſtinguendo, verè tamen ſentire atque conſtituere Sanctos mediatores redemptionis noſtræ. Vltimò nos non ſic honorare Sanctos aſſerunt, tanquam illorum virtutes, & fidem proponamus imitandam, vel deo pro illis gratias ducamus agẽdas; quod quàm ſit impudẽs mendaciũ, docebimus in theſi. 223. 224. &c.

Apol. Conf. Aug. Cal. c. 15. inſti. §. 13. 1. Timoth. 2. v. 1. Calu. loco citato §. 17.

67. Atq; hæc nobis imponunt inuitis aduerſarij; iam verò quid ipſi de re propoſita teneant, paucis explicare conabimur. Ac primò quidem, *Confeſſio noſtra* (ait Melanch.) *probat honores Sanctorũ, nã hic triplex honos ꝓbandus eſt. I. Gratiarũ actio Deo. 2. eſt confirmatio fidei noſtræ. 3. eſt imitatio fidei; deinde cæterarum virtutũ,* Deinde agnoſcunt *Sanctos ipſos laudãdos, qui donis Dei fideliter vſi ſunt, ſicut Chriſtus laudat fideles negociatores.* Tertio fatentur, *ſuis ſanctis interceſsiones relinqui, quibus alij aliorum ſalutem mutuò inter ſe Deo commendãt, de quibus meminit Apoſt. ſed tales, quæ ab vnica illa dependeant. Nam vt à dilectionis affectu ſcaturiunt, quo nos vltro citroq; complectimur, ceu vnius corporis membra, ita etiam ad capitis vnitatem referuntur. Quum ergo illæ quoque in Chriſti nomine fiunt, quid aliud quam teſtantur, neminem, vllis omnium precibus, niſi Chriſti intercedente poſſe adiuuari? Atque vt non obſtat ſua interceſsione Chriſtus, quominus in Eccleſia precibus alter alteri viciſsim patrocinemur; ita fixum maneat omnes totius eccleſiæ interceſsiones in illam vnicam eſſe dirigendas.*

Apol. conf. Auguſtan.

98. Admittunt quartò, *Angelorum orationes ſæpius in ſcripturis legi, neq; id modò, ſed in Dei cõſpectum, per eorum manus perferri fidelium preces*; extat enim

teſtimonium Zachariæ (ait Melanchton) vbi Angelus orat, *Domine exercituum, vſquequò tu non miſereberis Ieruſalem?* *Zach.c.1.*

99. Concedunt etiam, Diuos pro eccleſia Chriſti in genere orare. Verba Melanchtonis ſunt. *De Sanctis etſi concedimus, quod ſicut viui orant pro Eccleſia vniuerſa in genere, ita in cælis orent pro Eccleſia in genere, tametſi teſtimonium nullum de mortuis orantibus extat in ſcripturis: præter illud ſomnium ex libro Machabæorum poſteriore.* Caluinus, *Quantum ad Sanctos attinet* (inquit) *qui carne mortui, in Chriſto viuunt, ſi quam illis orationem attribuimus, ne ijs quidem ipſis ſomniemus aliam eſſe rogandi Dei viam, quam Chriſtum, qui ſolus via eſt, aut alio nomine eſſe acceptas eorum preces.*

In Apol. Cõfeſſ. Auguſt. *Calu. loco citato §. 15.* *OEcolampa. concl. 3. diſp. Heluet.*

Brẽt. in Apol. Cõf. ſui Principis. Diſp. de inuoc. Sanc. cõc. 26. Tubingæ habita. Cõf. Saxon. c. de inuo. piorũ mort.

100. Quod verò ad hanc diuorum implorationem attinet, Lutherum contraria ſcripſiſſe ſecumque pugnaſſe conſtat; nam contra VValdenſes agens, ſeu Picardos, qui Germanos inſimulabant idololatriæ, propter cultum & venerationem Sanctorum, tum etiam quòd loca quædam ſcripturæ, quibus vnum Deum iubemur adorare, inſultè pro ſe allegarent, vocat eos impios ſcripturæ peruerſores, & ſubdolos calumniatores noſtræ pietatis; & inter alia ſic ait, *Propter horum rudiſsimam & inſulſiſsimam ruſticitatem, dico ego ad Sanctorum ſuffragia recurrendum omni modo, ſicut in Iob dicitur, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Item, *Omnes Sancti omnia poſſunt, & tantum tibi per eos à Deo datur, quantum credis te accepturum.* Ruſus alibi hortatur ægrum, vt inuocet omnes Angelos precipuè tutelarem; Chriſti item matrem, Apoſtolos & Sanctos omnes, eos præſertim, erga quos ſpecialem ſentiat animi pietatem.

In cõcione de præparatione ad mortem. anno 1519.

101. At quò grati diſcipuli tam charo magiſtro mutuam referre gratiam videantur, dicent fortaſſe eum, dum hæc ſcriberet, nec dum nouo iſto Euangelij perfuſum fuiſſe lumine, nec ſalis fruſtum, cum dæmone abſumpſiſſe; poſtea verò, cum homines ſanctos adhuc in viuis exiſtentes, gemmis, mortuos verò idolis & lignis compararet, multo rectius ſenſiſſe. Quod ſi ita eſt, cur in concione funebri, quam decimo tertio anno ante obitum habuit, probans quam precioſa ſit in conſpectu Domini mors Sanctorum eius, ait, Deum maiori in precio habere Sanctos vita defunctos, quàm in carne degentes.

Suri⁹ in com. anno 1517. & an. 1534. Luth. in lib. de miſſa Angul. *Diſp. Ingol. de ſtatu animarum in altero ſæculo. Concl. 123.*

102. Quin omnes quotquot Lutherum agnoſcunt magiſtrum, vel Caluinum ſuæ ſectæ venerãtur patriarcham, aut ex vtriuſq; ſcholis, qui prodierunt diſcipuli; nouaſq; ſibi eodem iure, quo Doctores primi, ciſternas ſuffoderunt, vno ore vociferantur Sanctos, poſteaquam ex hac luce migrarunt, nullo pacto eſſe à nobis inuocandos. Et cum videant ſe in hac ſua inficiatione pugnare cum antiquiſsima eccleſię conſuetudine, à plurimis Conciliis, iiſque antiquiſsimis approbata, & à ſanctiſsimis

Ducis Sax.

patribus

In diſputat. Tubingæ habita de inuo. Sanct. Conc. 37, et 39. etc. Epiſt. 118. ad Ianuar.

patribus recepta; tametſi hanc conſuetudinem concedant, aiunt tamen ex errore cœpiſſe, nec obſeruandam nobis eſſe, quoniam Chriſtus non dixit, Ego ſum conſuetudo, ſed ego ſum veritas. Acuta ſana probatio, & inſaniæ magis quam eruditionis plena. Nam vt ſcribit Auguſt. *inſolentiſsima inſaniæ genus eſt, de eo, quod per orbem frequentat eccleſia, diſputare*; rationem antea dedit his verbis, *Illa autem quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis concilijs, quorum eſt in eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri.*

In diſput. de inuoc. Sanct. Conſl. 33. & 34.

103. Sed Conſuetudo hæc aduerſarios habuit plures, eoſq́; doctiſſimos patres, *Etſi* (inquit Heerbrandus) *patres in ea fuerint ſententia, vt Sancti inuocarentur; aliqui tamen illorum acriter initio reſtiterunt, vt Epiphanius, Ambroſius, Chriſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus, vſque ad Baſilium ferè magnum.*

104. Atqui hoc mendacium, cum inſolentius videretur, quam poſſit honeſtè defendi (ſiquidē hos patres inferius docebimus nihil penitus contra inuocationem Sanctorum, imo plurima in eius defenſionem attuliſſe) viſum eſt conſultius patribus omnibus nuncium remittere & in hoc, & in reliquis omnibꝰ difficultatibus, quàm ab aliorū ſuffragiis dependere, quæ iam conſtat à partibus Catholicorum ſtare; hinc quidam diſputator egregius, *Si Pontificij* (inquit) *non ſexaginta ſeptem ſolùm, ſed ſexagies ſeptem, aut ſi malunt ſex millia patrum, Epiſcoporum, Abbatum, Monachorum, Monialium teſtimonium proferant, nihil inde probabunt ſine ſacra ſcriptura, ex qua quicquid non probatur, eadem facilitate contemnitur.* Rectè, ſic enim decuit nouæ Theologiæ profeſſorem, nouique Euangelij propagatorem apertè quid ſentiat profiteri, vt omnes intelligant eum, non ſanctiſsimorum patrum, ſed corruptiſsimorum hæreticorum eſſe ſectatorē, qui omnem patrum auctoritatem contempſerunt; vt licet ex doctiſsimi & ſanctiſsimi Paciani ſcriptis colligere; ſic enim alloquitur Nouatianos. *Quid, parua* (inquit) *vobis eſt de Apoſtolicis viris, parua de primis Sacerdotibus, parua de beatiſsimo Cypriano currit auctoritas? an ſapientiores illo ſumus, & ſpiritu carnis inflamur aduerſus eum, quem æterni Dei teſtem, nobilis cruor, & clariſsima paſsionis corona producit? Quid tot earum partium ſacerdotes, quos per totum orbem cum eodem Cypriano pax vna ſolidauit? Quid tot annoſi Epiſcopi? tot martyres, tot confeſſores? Age, ſi illi vſurpando nomini huic (Catholico) auctores non fuerunt, nos ideo erimus negando? & noſtram potius auctoritatem patres ſequentur, & emendanda ſanctorum cedet antiquitas, & iam putreſcentia vitijs tempora canos Apoſtolicæ antiquitatis eradent? &c.*

In diſp. Tubingæ habita contra Purg. propoſit. 118. & 119.

Pacianus ep. 1. ad Sympronianum.

Quomodo Sācti colūtur a Catholicis.

105. Atque hactenus quidem fraudem, quam nobis hæretici imponere conati ſunt, aperuimus, quidq́ue ipſi de implorando Sāctorum auxilio profiteantur, etiam declarauimus: iam ſupereſt, vt Catholicorū

hac de

hac de re ſententiam & proferamus, & confirmemus; idq; non ex vnius aut alterius priuati hominis iudicio & opinione, ſed omnium patrum, paſtorum, & filiorum veræ Eccleſiæ noſtri temporis, qui ſpiritus ſancti vocem in Concilio Tridentino loquentem audiunt, & obſeruant, *Mandat ſancta Synodus omnibus Epiſcopis, & cæteris docendi munus curāq; ſuſtinentibus, vt iuxta Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ vſum, à primæuis Chriſtianæ religionis temporibus receptum, ſanctorum patrum conſenſionem, & ſacrorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum interceſsione & inuocatione fideles diligenter inſtruant, docentes eos, Sanctos, vna cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre, & ob beneficia impetranda à Deo per filium eius Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter redemptor & ſaluator eſt, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere.* Concil. Trid. ſeſſ. 25.

106. Et iterùm, *Quamuis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum miſſas Eccleſia celebrare conſueuerit, non tamen illis ſacrificium offerre docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronauit; vnde nec ſacerdos dicere ſolet: offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, ſed Deo de illorum victorijs, gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipſi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris,* Hæc fides eſt Catholicorum, quam corde credunt, & ore confitentur in templis, ſcholis, & ſcriptis, quamque à ſanctis Patribus traditam retinent. Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 3. Catechiſmus Concil. Trid. Catechiſ. Petri Caniſij. D. Thom. 3. p. q. 26.

107. *Non dicimus martyres Deos* (inquit Cyrillus) *non adoramus eos vt Deos, ſed vt homines, qui pro veritate, ac vero Deo generoſè decertarent; qui potius quam plures Deos colerent, omnibus tormentis & morti ſe crudeliſsimæ obiecere.* Hoc idem habet Auguſtinus & reliqui maiores noſtri. l. 6. cōt. Iul. l. 20. contra fauſt. c. 21.

108. Sed moleſte illos habet, quod Sanctos dicimus cognoſcere occulta vota, ac preces noſtras, quod ſolius Dei proprium eſſe arbitrantur. Fatemur quidem abdita & futura cognoſcere ex ſe, & non aliunde, ſolius Dei eſſe; vnde & Chriſtus inquit, *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis;* Eadem verò in eſſentia diuina, quam intuentur beati, vel per reuelationem cognoſcere, non ſolius Dei, ſed etiam eſſe creaturę, cui voluerit Deus reuelare occulta hęc, vel communicare donum prophetiæ, aut ſimilia ſua chariſmata, qualia mortalibus ſæpe conceſſa ſunt, non poſſunt negare aduerſarij; qui & ſuum Lutherum propheticū habuiſſe ſpiritū iactitent. Sed de hoc in præcedenti cap. Matth. 10. 1. Cor. c. 14. Sleidanus li. 16. epitom. hiſt. f. 258. Extant (inquit) *in Lutheri libris paſsim vaticinia multa de rebus grauiſsimis quorum nonnulla iam cōprobauit euentus.*

109. Iam verò de mediatore Chriſto differendum eſt, vt & altera calumnia depellatur, qua aiunt nos conſtituere Sanctos mediatores redemptionis noſtræ. Diximus quidem ex ſententia Concilij Tridentini, atque adeo totius Eccleſiæ Catholicæ, Chriſtum ſolum eſſe redemptorem, ac ſaluatorem noſtrum; illum ſatisfeciſſe patri æterno pro peccatis De mediatore redēptionis & interceſſionis. Concil. Trid.

noſtris, illum meruiſſe nobis gratiam, atque gloriam. Verùm hoc paulo clarius explicandum reor hoc loco.

110. Mediator qui & ſequeſter (vt inquit D. [a] Hieronymus) dicitur, à medio [b] nominatur, quod ab vtroque extremorum ſic diſtat, vt vtrumque in ſe coniungat ac vniat. Vnde in mediatore redemptionis hæc ſunt neceſſaria, primò, vt [c] vtrorumque particeps ſit, quorum fuerit mediator, nam ſi vnum ſocietate contingit, ab alio fuerit ſeparatus, mediator iam dici non poteſt: atque ita Chriſtus, cum duarum naturarum, diuinæ & humanæ medius fuerit per vtriuſque participationem, rectè mediator eſt appellatus: deinde opus eſt, vt vi & dignitate propria, non cuiuſq; alterius hoc mediatoris & redẽptoris officium præſtet; vnde Chriſtus, cum verus Dei filius fuerit ſimul atque homo, vi ſua & virtute propria, [d] nos ex ſeruitute diaboli eripuit: tertiò, requiritur vt abſolutam remiſsionem & reconciliationem ad amuſsim iuſtitiæ obtinuerit. [e] Id quod Chriſtus etiã peregit, vt docẽt noſtri Theologi. Quartò [f] debet vnus & idem omniũ eſſe mediator atq; reconciliator, ita vt pręter ipſo nemo intercedat; qua etiam ratione, Chriſtus mediator noſter vere dicitur & eſt: quas omnes conditiones paucis verbis Doctor gentiũ cõplexus eſt, dũ inquit, *Vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus*, (denotat vtriuſq; naturę participationẽ) *qui dedit ſemetipſum* (dignitatẽ hoſtię deſignat) *redemptionem* (tertiam conditionem attingit) *pro omnibus*, qui à principio fuerunt, & impoſterum ſunt futuri.

111. Has conditiones mediatoris redemptionis, ſoli Chriſto conuenire, & credit, & docet Eccleſia Catholica atque Romana; nec poterunt vnquam demonſtrare illam contrarium docuiſſe, vel definiuiſſe hæretici. Simul etiam docet, non obſtante hoc Chriſti excellentiſsimo mediatoris officio, eſſe alios mediatores, quos interceſsionis appellamus; qui, cum Deo Opt. Max. per gratiã & merita Chriſti ſint coniuncti, pro aliis intercedere ſine Chriſti præiudicio poſſunt; atque hac ratione Sanctos cum Deo regnantes mediatores, vel interceſſores nuncupamus.

112. Nec mirum ſane, cùm homines adhuc mortales, hac ratione nõ mediatores tantum, verùm etiam ſeruatores, redemptores, ac ſequeſtres in ſacris literis appellentur; quia nimirum miniſtri fuerunt Dei, eiq; cooperati ſunt in liberãdo, redimendo, & ſaluando populo ſuo. Sic Othoniel ſaluator dicitur, *& clamauerunt ad Dominũ, qui ſuſcitauit eis Saluatorẽ, & liberauit eos Othoniel.* Moyſes redemptor, *hunc Deus principem & redemptorem miſit.* Idem medius & ſequeſter, *ego* (inquit Moyſes) *ſequeſter & medius fui, inter dominum & vos.* Et reuera officiũ hoc pręſtiterunt Moyſes & Ieremias *recordare* (inquit hic) *quod ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerte-*

[margin] ... 22. c. 3. & ... 1. 6. c. 3. 4. 5. &c.
[a] In c. 3. ad Gal.
[b] D. Thom. 3. p. q. 26.
[c] Chriſoſt. hom. 7. in c. 2. epiſt. 1. ad Timoth.
[d] Rom. 3. v. 25. c. 5. v. 2. & 9. Epheſ. c. 2. v. 13. 17. Col. 2. v. 19.
[e] 1. Cor. 7. v. 23. 1. Pet. 1. v. 18. Pſ. 129 Col. 2. v. 14. D. Thom. 3. p. q. 1. a. 2. ad 2.
[f] Act. 4. Heb. 7. 1. Timoth. 2.
Iud. c. 3. v. 9
Act. 7. v. 35
Deut. 5. v. 5. Exod. 32. v. 11. 30. & 31. Ier. 18. v. 20

auerterem indignationem tuam ab eis. Paulus etiam agnoſcit ſe *legatione fungi* 2. Corinth. 5.
pro Chriſto, ſibiq́ datum eſſe miniſterium reconciliationis.

113. Et ne lõgius quàm res poſtulat proueh amur, fatentur aduerſarij, viuos poſſe pro ſe mutuò orare, non obſtante Chriſti interceſsione; ſi cauſam verò petis, cur Sancti dũ hic mortalem vitam agũt, calamitatib⁹ multis & ærumnis impliciti, atq; adeo aliorũ ope egẽtes, poſsint à nobis inuocari, & inuocatis opẽ ferre, in cælũ aũt euecti, immortales, immaculati, & extra omnem egeſtatem cõſtituti, Deo gratiſsimi & cõiũctiſsimi, neq; inuocari licitè poſsint, neq; inuocãtib⁹ ꝓſto eſſe; reſpõdebunt, eos è noſtro ſubductos cõtubernio, vt nihil ſit nobis cũ illis commune; vel eorum quæ à nobis geruntur notitia carere, quod alibi confutatum eſt. Calu. c. 15. inſtu. S. 13. Theſi 97. Cap. 4.

114. Addunt alij, eos nõ ideo inuocãdos, quia ꝓ nobis nõ orãt, quoniam cernẽtes Chriſtũ ad Deũ accedere, ac ꝓ nobis interpellare iniuriam Chriſto irrogarẽt, ſi partes ſuas ad orandũ ꝓ nobis interponerent, perinde quaſi Chriſti preces per ſe nõ eſſent ſufficientes. Sed hæc puerilia ſunt & doctis indigna. Siquidem Paulus nouerat Chriſti preces ſufficientes eſſe, & tamen ſuas orationes etiam interponebat, idq́ue ſine vlla Chriſti iniuria. Quòd ſi hic noſtras cum Chriſti precibus licet coniungere, certè in cælis idem licebit. *Non enim credendum eſt Sanctos viſcera miſericordiæ amiſſuros, cum fuerint pleniſsimæ & perfectiſsimæ ſanctitatis, vt qui tũc etiam orabant pro inimicis, cum ipſi ſine peccato non erant.* Adde nouos iſtos doctorculos fateri Angelos pro nobis in cælis orare, ipſoſq́ue diuos generatim pro Eccleſia intercedere, vt ſupra notatum eſt. Aug. l. 21. de ciuit. c. 18. et ſerm. 18. de Sanctis. Orig. hom. 3. in cant.

115. Verùm vt ſummam rei attingam, ideo negant Sanctos inuocandos, vel quia ſcriptura ſacra hoc prohibet; vel quia de inuocatione Sanctorum nullum habetur præceptum, nec promiſsio, nec exemplum in ſcripturis ſacris. Sed vbi quæſo ſcriptura prohibet? in iis locis (inquiũt) vbi iubet. *Non habebis Deos alienos, & Dominum Deum tuum adorabis*; at iam diximus, nos haud colere Sanctos vt Deos, nec diuinos honores illis impendere; ac ꝓinde hũc Sanctorũ cultũ nõ prohiberi, vt explicat D. Aug. Theſi. 99. Diſp. Tubin. de inuo. San. Concl. 26. Apol. Conf. Auguſtan. Theſi 105. 106. 107. q. 61. in Gen.

116. Nec deſunt cauſæ, cur ſcripturæ diſertam mentionẽ huius inuocationis Sanctorũ non faciant, aut ſaltẽ expreſsis verbis eã nõ præcipiãt; veteris quidẽ teſtamenti, quia patrũ animæ nõdũ erant in cælũ receptæ; noui verò, quia nondũ erat tempus in ipſius fidei exordiis, hanc doctrinã mundo promulgandi, ne vel gentiles arbitrarentur nos plures Deos colere, vel viderẽtur Apoſtoli ſuã aucupari gloriã. Adhæc, multa in vtroque inſtrumẽto præcepta erant, quę tamẽ ad tẽp⁹ diſsimulabãtur, vt circũciſio per totos quadraginta annos, quibus Iſraël in deſerto degebat intermiſſa. Sic prima Petri de Chriſto cõcio, nõ quaſi de Deo, ſed excellenti Propheta habita eſt, ſic & hæc de Diuorũ interpellatione doctrina, Ioſue c. 5. Chriſo. hom. 1. in acta Ap.

ſenſim creſcente fide, & ipſa creuit; & ea iam confirmata, certiſsimam vndique auctoritatem obtinuit.

117. Nec ita hæc aſſero tanquam nobis deeſſet ſcripturæ auctoritas,qua hæc Sanctorum inuocatio comprobetur,ſed vt intelligant,nó eam improbandam eſſe, tametſi in ſacris literis non præciperetur,aut exprimeretur,cum & multa ſint alia fidelibus credéda, & obſeruanda, quę tamen in ſacris literis non expreſſa inueniantur. Verum de hoc poſtea.

Inuocatione Sanctorũ omnes patres, qui D. Gregorĩũ præceſſerũt, agnoſcunt.

118. His detectis & confutatis aduerſariorum commentis, ad aliud accedamus,omnium meo iudicio impudentiſsimum;aſſerunt enim ante tempora Gregorij Magni, nullum patrum feciſſe mentionem de inuocatione Sanctorum,cum contra,vix vllus ſit patrum,qui non habeat huius rei clariſsimum teſtimonium, vt iam luce clarius innoteſcet. Et vt à Græcis incipiamus D. Iacobus in ſua liturgia Sanctorũ memoriam & inuocationem commèmorat. Dion. Areopagita c. 7. Eccleſ. Hier. p. 3. docet Sanctorum preces prodeſſe, & illos adeundos. Irenæus l. 5. vltra medium vocat B. virginem aduocatam Euæ.

Orig. hom. 3. in diuerſis. lib. 2. in Iob. & hom. 3. in Cant. Baſi hom. 20 de 40. mart. & hom. 26. de mamante. Naz. orat. in S. Cyprianũ, & at. in S. Athanaſiũ. & orat. in Baſil.

119. Origenes ſcribit, *interceſsionem filiorum pro domino morientium apud Deum plurimum profuiſſe parentibus.* Et alibi, *O beate* (inquit) *Iob, ora pro nobis miſeris.* Baſilius Magnus loquens de 40. martyribus, *qui aliqua* (inquit) *premitur anguſtia, ad hos confugiat, qui rurſus lætatur hos oret, &c.* Gregorius Nazianzenus alloquitur D. Cyprianum, *Tu nos ab alto propicius reſpice, noſtrumq; ſermonem ac vitam dirige.* Et Athanaſium ſanctum, *Tu* (inquit) *è ſupernis propitius nos reſpicè, &c.* Athanaſius ſermone de S. Deipara prope finẽ, *Ad te clamamus* (inquit) *intercede hera, & domina pro nobis.* Gregor. Niſſenus orat. in Theodorum martyrem, *Deprecare* (inquit) *& intercede pro patria apud communem Dominum.* S. Ephrem Syrus in orat. ad S. martyres, *Precamur* (inquit) *ſanctos martyres, vt pro nobis miſeris deprecari dignemini.* Euſebius Emiſſen. hom. de S. Geneſio, & D. Epipodio, & Alexandro, & Gregorius presbyter in vita Gregorij Nazianz. *Tu* (inquit) *Beate pater, ſcenæq; veræ ſpectator & myſta, tui ſis memor Gregorij, &c.*

Theſ. 265. & 267.

120. Dorothæus Epiſcopus Tyri in vita Eſaiæ, & Ieremiæ, quem alibi citauimus; & Epiphanius perſpicuè docent fideles acceſsiſſe ad ſepulchra Prophetarum orandi eos gratia, ac per earum interceſsiones magnis liberatos incommodis. Chyſoſtomus hom. 66. ad populum Antiochenum, *Qui purpuram* (inquit) *indutus eſt, accedit complexurus ſepulchra (Apoſtolorum) & faſtu depoſito, ſtat Sanctis ſupplicaturus, vt pro ſe apud Deum intercedant &c.* qui plura cupit in hoc auctore, legat hom. 1. in Gen. & 44. Item hom. 26. in 2. ad Cor. hom. 1. ad Philip. & in liturgia. Theodoretus in hiſtoria patrũ paſſim, ſub finem cuiuſque hiſtoriæ. & in l. 8. de curan. Græc. aff. cuius verba citauimus alibi. His adde Cyrillum Hieroſolymitanum,

Theſi. 290. & 234.

tanum,

ſtanum,qui in Catecheſi myſtag. quinta ita ſcribit. *Cùm hoc ſacrificium of-
ferimus,poſtea facimus mentionem etiam eorum,qui ante nos obdormierunt; primùm
Patriarcharũ,Prophetarum,Apoſtolorum,Martyrum,vt Deus orationibus illorum,&
deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.* Pro cultu Sãctorum egregie decertat, *l. 6. & 10.*
alter Cyrillus Alexandrinus, contra impium illum apoſtatam Iulianũ. *con. Iulianũ.*
Euſebius etiam Cæſarienſis, *Hæc* (inquit) *nos quotidie factitamus,qui Dei ami-*
cos honorantes ad monumenta quoque illorum accedimus,vota quæ ipſis facimus tan- *l. 13. præpar. Euang. c. 7.*
quam viris ſanctis,quorum interceſsione apud Deum nõ parum nos iuuari profitemur.

121. His patribus Orientalis eccleſiæ,qui ante D. Gregorij ætatem
fidem eccleſiæ de Sanctorum inuocatione teſtantur, adiungamus toti-
dem ferè Latinos, qui haud quaquam Græcis hac in re ceſſerunt. Cor- *Epiſt. 1.*
nelius papa agens de tranſlatione S S. Petri & Pauli, *Oremus vt* (inquit) *in-*
terceſsione Apoſtolorum, &c. Cyprianus, *Si quis noſtrum prior diuinæ dignationis* *l. 1. epiſt. 1.*
celeritate,præceſſerit,perſeuerat apud Deum noſtra dilectio, pro fratribus & ſororibus
noſtris apud miſericordiam patris non ceſſet oratio. Et in ſerm. de ſtella & Magis,
ait pueros ab Herode occiſos, pro noſtris exorare laboribus. Hilarius in Pſal. 129. *Hilar. in Pſ.*
Angelorum (inquit) *interceſsione non eget natura Dei,ſed fragilitas noſtra.* Hie- *129. & in Matth. 18.*
ronymus in epitaphio Paulæ, prope finem, *Vale* (inquit) *Paula,cultoris tui*
vltimam ſenectutem orationibus iuua. Et contra Vigilantium: Ambroſius in l.
de viduis, *Obſeruandi ſunt* (inquit) *Angeli, qui nobis ad præſidium dati ſunt; non*
erubeſcamus martyres interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere. Et in oratione
funebri Satyri fratris; & ſerm. 93. in Natali Cæſarij & Celſi: & in exhor.
ad virgines.

122. Auguſtinus tract. 84. in Ioan. ſcribit memoriam martyrum
commemorari ad menſam Domini, non quemadmodum, aliorum,
qui in pace requieſcant, *Vt etiam pro eis rogemus, ſed magis,vt orent ipſi pro no-*
bis. Et l. 22. de ciuit. c. 8. circa medium, docet Florentium quendam in-
uocaſſe martyres, ipſiuſq; inuocationem miraculo confirmatam. Pauli-
nus in vita & miraculis S. Felicis martyris Nolani, in natali 2.3.6.8.& no-
no inuocat martyrem illum, Patriarchas, Apoſtolos, Prophetas,& Mar-
tyres omnes, Prudentius in Hymno de S. Laurentio:

Indignus agnoſco & ſcio
Quem Chriſtus ipſe exaudiat,
Sed per patronos martyres,
Poteſt medelam conſequi.
Et iterùm.
Quod quiſque ſupplex poſtulat,
Fert impetratum proſpere.

Idem habet in hymno in decem & octo Cæſarauguſtanos, & hymno
in S. Vincentium. & in S. Romanum.

123. *Theodoſius Imperator circumibat* (inquit Ruffinus) *cum ſacerdotibus &*
Lib. 2. hiſt. c. 33. *populo omnium orationum loca, ante martyrum & Apoſtolorum thecas, iacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fida Sanctorum interceſsione poſcebat.* Vigilius Tridentinus in vita D. Syſinij, & aliorũ, *nunc* (inquit) *me imn eritũ, vtriq; conſortem, paterno amore conſolare, & cum iiſdem Sanctis ad ipſum exorator accede.* Victor Vticenſis l. 1. de perſecutione VVandalorũ, circa finem, *Adeſtote* (inquit) *Angeli Dei mei, qui nunquam deeſtis, etc. Orate S. Prophetæ agnoſcentes afflictã Africam, Eſtote Apoſtoli ſuffragatores precipue tu Petre beate, &c.* Maximus Taurinenſ. ſer. de natali mart. Taurinenſ. *Cuncti* (inquit) *martyres deuotiſsime percolendi ſunt, ſed ſpecialiter ij venerandi ſunt à nobis, quorum reliquias poſsidemus; illi enim nos orationibus adiuuant, &c.* Seuerus Sulpitius ad Aurelium Diaconũ cum obitum S. Martini deſcripſiſſet, adiecit hãc coronidem, patronum (inquit) ad Deũ miſi, &c. His accedat Leo magnus, D. Greg. Romanus, & alter Turonẽſis, qui inſignẽ venerationis cultũ ſanctis Dei cõtulerũt.

124. Hic iam ſecum perpendat lector, qua fide & cõſcientia egerunt aduerſarij noſtri, in re grauiſsima, cum auderent libris euulgatis iactitare, ante D. Gregorium nullum fuiſſe patrem, qui de Sanctorum inuocatione faceret mentionem; cum nos vt minimum triginta, eoſq; celeberrimos totius orbis Doctores, pro Sanctorũ inuocatione ꝓtulerim⁹. Nunc videamus an poſsit hæc veritas ex ſacris Conciliis comprobari.

125. In primis Conc. Chalcedonenſe act. 11. *Sanctus* (inquit) *martyr Flauianus oret pro uobis.* In Concil. ſexto generali clara facta eſt mentio
Act. 6. inuocationis Sanctorũ à Cõſtantino Imperatore, *ſperantes* (inquit) *veram atq; celerem ſalutem, à Sãctorũ multorũ munerũ datore Deo, interceſsionibus Dei ge-*
Act. 3. *netricis, & veſtræ ſanctitatis ſuſcipere.* Synodus etiam ſeptima Oecumenica. *Cum timore* (inquit) *Dei omnia agamus, poſtulantes interceſsiones incontaminatæ Deiparæ, & ſemper virginis Mariæ, item ſanctorum Angelorum, omniumq; Sanctorũ.* His generalibus aſtipulantur particularia, vt Aurelianenſe primum c. 23. Gerundenſe c. 3. Toletanum 5. c. 1. & ſextum c. 2. Bracarenſe ſecundum c. 9. & Moguntinum c. 33.

126. Nunc ad ſacrã ſcripturã accedamus. *Recordare* (ait Moyſes) *Abra-*
Exod. c. 32. *ham, Iſaac, & Iſrael, ſeruorũ tuorũ.* Vbi Moyſes inuocat, & implorat merita
q. 67. in Ex. Sanctorũ, teſte Theodoreto. Nec ſatisfacit elutio eorũ, qui dicũt Moyſen & reliquos patres, cũ hoc vterentur ſchemate loquendi, nihil aliud quã reuocaſſe in memoriã Deo pactũ, ꝙ fecerat cũ patribus antiquis; nã mẽs
Chriſo. hom. 42. in Gen. & ſerm. de virtutib. & vitiis. illa patrũ fuit, merita Sanctorũ Deo ꝓponere; ſic Pſal. 131. *Memento* (inquit Pſalmiſt.) *Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Solebãt enim patres, cũ inſigne aliquod beneficiũ à Deo volebãt impetrare, aut grauem cladem imminentem depellere Patriarcharũ merita allegare in huc vel ſimilem
Exod. 34. modũ, Deus qui cuſtodis miſericordiã tuam in millibus, id eſt, qui propter

pter merita patrum,,miſereris filiorum in mille generationes, *Ne queſumus* (inquit Azarias) *tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum,neque auferas* Ierem.32.
miſericordiam tuam à nobis,propter Abraham dilectum tuum. Dan. 3. Baruc. 3.

127. Iacob etiam benedicens nepotibus, in hæc verba locutus eſt, Gen.c.48.
Deus in cuius conſpectu ambulauerunt patres mei, Abraham, & Iſaac, Deus qui paſcit
me ab adoleſcentia mea vſque in præſentem diem; Angelus, qui eruit me de cunctis
malis, benedicat pueris iſtis, & inuocetur ſuper eos nomen meum,nomina quoque patrum meorum, Abraham, & Iſaac, & creſcant in multitudinem ſuper terram. Vbi
Patriarcha inuocat primùm, & implorat auxilium ipſius Dei: deinde
meminit Angeli tutelaris, qui præſto ſemper ſibi fuit; poſtremò pollicetur ſubſidium Patriarcharum auorum, eoſque omnes ad benedicendum pueris inuocat; quare Melanchton, ingenuè in libello de Bauaricis articulis fatetur, neſcire ſe diluere hunc locum Geneſeos, vbi Iacob
inuocat Angelum.

128, Oecolampadius & Caluinus hunc locum ita torquēt, vt dicāt In Diſput. in
nomen alicuius ſuper aliquo in veteri teſtamento inuocari, nihil aliud Heluetia habita Concl. 3.
eſſe quàm aliquē eiuſdē eſſe cū altero generationis ac nominis, ſuiq; generis originē ad eū reuocare. Sic apud Eſaiā virorū nomē inuocari ſuper Caluin. c. 15. inſtit. §. 19.
mulieres dicit, dū eos habent maritorū loco, ſub quorū fide & tutela degant. Similiter apud Ier. *O Domine, in medio es noſtri, & nomen tuū inuocatū eſt* Ierem. c. 14.
ſuper nos, hoc eſt, nominamur tuo nomine, & dicimur populus Dei.

129. Verum hæc ad imponendū excogitata ſunt, nō ad difficultatē
expediēdum, nā *Enos cæpit inuocare nomen domini*, id eſt, im[illegible]orauit auxiliū Geneſ. 4.
Dei. Abrahā etiā *ædificauit altare Domino, & inuocauit nomē eius*; Numerorū Geneſ. 12.
etiā c. 6. *Inuocabūtq; nomē meū ſuper filios Iſraël, et ego benedicā eis*; quæ verba ad Num. 6.
orationē ꝑtinent, nō ad generis vel nominis cōmunionē. Iā enim pueri
illi, quibus volebat patriarcha benedicere, erāt de ſtirpe Iacob, atq; ab eo
genus ducebant, vt nō eſſet opus hoc à Deo petere. Quare de inuocatione locus intelligendus eſt, atque ita intellexit Auguſtinus. l. 1. de Gen. c. 200.

130. Iam antea docuimus Angelos pro nobis orare, idq; ex ſententia Theſi 74.
aduerſariorū, quare igitur non licebit illos inuocare? nō enim prohibetur id ab illis petere, quod licitè nobis poſſunt præſtare. Hūc etiam vi- & 98.
detur ſpectaſſe Propheta, dum inquit, *Leuaui oculos meos in montes*, id eſt, In Pſal. 120.
Sanctos, vt explicat Auguſt. *vnde veniet auxilium mihi*: & ne putes eū à Sanctis, velut à primo fonte auxilium expectaſſe, ſubiunxit, *auxilium meum à*
Domino, qui fecit cælum & terram; *Noli putare*, ait Auguſt. *quod ipſi montes tibi*
dabunt auxilium, accipiunt enim quod dent, non de ſuo dant. Nec videtur Iudæos
hic mos inuocandi Sanctos, omnino latuiſſe, cum putarent Chriſtum Matth, 27.
in cruce Eliæ opem imploraſſe. Et quidem hactenus de Sanctorum inuocatione; nunc hæreticorum obiectiones diluamus.

131. Paulus

131. Paulus ſtatuit fideles debere in eos credere, qui inuocantur,
Rom. c. 10. atqui Chriſtianis non licet in Diuos credere, proinde nec poterunt eos
inuocare? Verùm longe aberrant à mente Apoſtoli, qui intendit doce-
re gentiles non poſſe Chriſtum, vt verum Deum inuocare, niſi prius
credant illum Deum eſſe. Addimus neminē poſſe vt Sanctum inuoca-
ri; niſi credatur Sanctus eſſe. Atq; ita Iudæi ſecundum textum Hebræū,
Exod. 14. dicuntur crediſiſſe in Deum & in Moyſen. Similis etiam locutio alibi
2. Par. c. 20. habetur in ſacris literis, *Audiens charitatem tuam*, ait Paulus, *& fidem quam*
ad Phile. v. 5 *habes in Domino* I E S V, *& in omnes Sanctos*. Patres etiam antiqui ita legebant
Conc. Nicen. articulum fidei indifferenter, Credo in Eccleſiam Catholicam, vel cre-
apud Epiph. do Eccleſiam Catholicam.
in fine ancor.
Hiero. cont. 132. Quando verò obiiciunt nobis loca ſcripturæ, quibus iubemur
Lucifer. ad Chriſtum, & ad patrem per illum adire, vt per aduocatum noſtrum,
Cyr. Hieroſ. & firmum præſidium; verba potius inania fundunt, quam ad ſua con-
catech. 17. firmanda argumenta adſerant, nos enim ad Chriſtum, & per Chriſtum
Matth. 11. ad Patrem accedimus; non minus quàm illi qui ad regem per miniſtros
Ioan. 14. adire feſtinant, nam omne meritum, ſanctitatem, ac virtutem fate-
Epheſ. 3. mur Sanctos à Deo accepiſſe, vnde quicquid nobis præſtant, hoc per
Heb. 4. Chriſtum præſtant, à quo habent quod præſtare poſſint.

Theſi 230. 133. Nec inuocamus nos Sanctos Dei, ſiue in cælo regnantes, ſiue
in terra viuentes, quaſi de miſericordia Dei diffidētes, ſed cōſcij propriæ
infirmitatis, probeque intelligentes iuſtorum preces gratiores Deo quā
ingrati peccatoris, & multorum orationes ſimul coniunctas à Deo plu-
ris fieri. Hinc noſtras preces cum Sanctis communes fieri exoptamus,
eaſque vt ipſi vna cum noſtris Deo patri æterno per filij ſui meritum, à
in Pſal. 129. quo vim omnem habent, offerant obnixè rogamus. *Interceſſione Angelo-
rum* (ait Hilarius) *non natura Dei eget, ſed infirmitas noſtra, miſsi enim ſunt propter
eos, qui hæreditabunt ſalutem, Deo nihil ex his quæ agimus ignorante, ſed infirmitate
noſtra ad rogandum & promerendum ſpiritalis interceſsionis miniſterio indigente.*

134. Quamuis enim Deus omnium bonorum fons ſit & origo,
poteſtque per ſe immediate omnia præſtare, voluit tamen dona ſua, per
media quædam à ſe ordinata in nos deriuari; vt ſic humilitas ac charitas
non ſolùm conſeruaretur, ſed præterea mutuis beneficiis augeretur; at-
Gen. c. 20. que ita promiſit Deus Regi Amalech ſanitatem, ſed per orationē Abra-
v. 7. & 17. hæ. Intercedente etiam oratione Iob, ignouit amicis eius, multaq; nobis
Iob. 42. v. 8 olim & etiamnum per Sanctorum interceſsiones, & cōoperationes bona
largitur. per angelum liberauit populum ex Aegypto, euertit caſtra Aſ-
ſyriorum, Sodomam combuſsit, & ſimilia plura præſtitit, quotidieque
per ſecundas cauſas præſtat.

135. Sed inquiunt, Deus longe benignior eſt, quam vllus Sancto-

rum,

rum,ergo ad illum vnum,non ad Sanctos recurrendum erit. Hoc probe nouit Paulus, & tamen voluit viuos pro ſe orare; diligit Deus proculdubio pauperem,& tamen per diuitem vult illum iuuari;ægrotum amat Deus, & tamen per medicum vult illum curari; potuiſſet Deus Naaman alioſque per ſe ſanare,& nihilominus placuit,vt ad Elizeum, & alia loca à ſe deputata ſanitatis cauſa adirent.

136. Hactenus de Sanctorum inuocatione;iam de illorum pro nobis interceſsione,pauca dicamus. Dant nobis aduerſarij,eos pro Eccleſia in genere orare; nos præterea contendimus eos particulares fratrum neceſsitates Deo commendare,multaque dona & beneficia priuatis hominibus impetrare. Sic Angeli egerunt cauſam Tobiæ, & alij aliorum, vt ſuis in locis docuimus. Nec ſolum Angeli,ſed etiam beati homines cum Chriſto regnantes. Sic Nazianzenus Baſilium Magnum rogat, vt *renum ſuorum debilitatem, & articulorum dolorem iubeat diſcedere,vel adiuuet.* Cyprianum orat,*vt paſcat ouile ſuum.* Leo docet D.Petrum, *ſpecialem habere curam vrbis Romæ,* ſeque eius meritis & auxilio iuuari. Nazianzenus orat.in laudem Cypriani, fatetur Iuſtinam *Virginem ope B. virginis Mariæ, vidiſſe Cyprianum pium diuini numinis cultorem, quem antea pudicitiæ ſuæ hoſtem ſenſerat.* Damaſcenus eiuſdem ope, dexteram manum amputatam recepit, teſte Ioanne Patriarcha Conſtantinopolitano in vita eius.

Quod Sācti pro nobis orēt in particulari.

Theſi 99. & in cap. de miraculis.

In Monodia in Baſilium.

Orat. 19.

Serm. 2. de natali Petri, &c.

Ambr. orat. funebri de fide reſurrectionis. Hie. in epitaph. Paulæ. Ephrē hom. in martyres.

At grauiter homines iſtos offendit rythmus ille Eccleſiaſticus.

Tu ſpes certa miſerorum,
Vere mater orphanorum,
Tu leuamen oppreſſorum,
Medicamen infirmorum,
Omnibus es omnia.

Non enim ferunt illam ſpem vocari miſerorum; nec omnia eſſe omnibus. Quòd verò ad primū attinet,ſi Apoſtolus Paulus ſine vlla Chriſti iniuria, vocauit mortales homines peccatis obnoxios, ſpē ſuam, *Quæ eſt* (inquit) *noſtra ſpes, aut gaudium,aut corona gloriæ? nonne vos?* & certe nos poterimus ſanctiſsimam matrem ſine filij iniuria ſic vocare.

1.Theſſ.2.

137. Et quia huius rei mentionem fecimus, paulo altius repetere iubet,quibus nominibus eam ſanctiſsimi patres appellarunt. [1] Aduocatam vocat illam Irenæus, Nazianzenus, Bernardus: [2] honoratiorem Cherubim & Seraphim, D.Iacobus & Chriſoſtomus; [3] Incontaminatam matrem Chriſoſtomus, [4] Reginam & Dominam, Athanaſius, Nazianzenus, & Ephrem. [5] Feneſtram cęli & ſcalam cæleſtē Fulgentius; [6] gaudium mortalium Nazianzenus; [7] Mediatricem Bernardus; [8] ſpem Auguſtinus,

1 Iren.lib. 5. cō.her. Naz. in fine trag. Patiens Ber. ſerm. de nat. Mariæ. & ſer. 2. de aduentu. 2 In Liturgiis. 3 In Liturgia. 4 Athan. in Euang. de Deipara. Naz. loco citato. Ephrem. orat. de laudibus Mariæ. 5 Fulgentius ſerm. de laudibus Mariæ. 6 Naz. loco citato. 7 Bern. ſer. 2. de aduentu, & ſer. in verba, ſignum magnum. 8 Aug. ſerm. 2.

de Annũciat. guſtinus, Ephrem, Epiphanius; 9 Conciliationis perſugium Andreas
I on. qui eſt Hieroſolymitanus; 10 cauſam ſalutis Irenæus & Epiphanius. Qui plura
18. de Sãctis. cupit, legat hos eoſdem patres in locis iam à nobis citatis.
Ephrem loco

citato. Epiphan. hom. de laudibus Mariæ. 9 Andreas Hier. in Salutationem Anglicam. 10 Irenæus lib. 3. hæreſ. cap. 33. Epiphan. hær. 78.

138. Præterea alteram illam phraſim, qua omnia dicatur omnibus, non docebunt vnquàm Eccleſiæ Catholicæ calculo fuiſſe probatam, quanquàm & ſuam illa interpretationem haud incõmodam ferat; ſi dicamus illam quicquid à filio petierit impetrare, quoniam ea ſemper petit, quæ Deo ſunt gratiſsima, & iis, pro quibus petit ſalutaria. Et ſi Paulus dicat ſe omnibus omnia factum, quia ſic ſe accommodauit omnibus, vt nihil præter eorum ſalutem anhelaret, cur non poteſt hoc ipſum B. virgini accõmodari, ad eum modum quem iam ante explicauimus.

CAPVT VI.

De veneratione reliquiarum.

139.

ECCLESIA Catholica, non ſolum ſanctorũ ſpiritus, æterna beatitudine donatos cenſet venerandos, verum etiam ſacra eorum oſſa, cineres, & id genus alias exuuias, magna deuotione hactenus eſt amplexa, atque modo complectitur; ſic tamen, vt non ex æquo pariq́ue animi propoſito vtriſque cultum præſtet; namq́ue ſpiritus, qui gratiæ, diuinæq́ue naturæ capaces ſunt, per ſe & propter ſe honorandos docet, reliquias verò, & partes eorum materiales, non per ſe, nec propter ſe, ſed propter ſpiritus, quorum inſtrumenta aliquando fuerunt, & ad quos ordinem certum ſunt ſortiti, religioſè veneratur.

2. Petr. 1.

140. Verum quò feruentiori ſtudio hanc reliquiarum venerationem promouit Eccleſia Dei, eò infeſtiori animo ſanatas, Chriſti & Sanctorum Chriſti hoſtis teterrimus, per miniſtros ſuos eandem impugnauit; namq́ue in ipſis ferè incunabulis Eccleſiæ, Gnoſticos homines ſiue vitæ ac morum turpitudinem, ſiue doctrinæ impuritatem ſe[illegible]ctes, ad Sanctorum & Sanctitatis cultum impugnandum, & ad ſucceſſionem Caluinianæ, Lutheranæq́ue Synagogæ in hac cauſa inchoandam valde aptos excitauit. Hi enim docuerunt martyria non eſſe Deo grata, & conſequenter venerationem quæ Diuorum reliquiis exhibebatur, Deo nequaquam placere.

Tertull. in Scorpiaco.

141. Hos ſequutus eſt Vigilantius, qui inſignem nauabat magiſtro ſuo operam, in reliquiarum cultu extirpando: deinde Conſtantinus Copronimus, illuſtris propter ſcelus & impietatem; Claudius Taurinenſis, & reliqui in priori capite nominati; quibus ſerie quadam licet interrupta, ſuccedunt Lutherani ac Caluiniani Euangelici, eiuſdem cum patribus ſuis veritatis impugnatores, antiquæque perfidiæ propugnatores; ac proinde ab Eccleſia Catholica merito cum illis damnati. *Hieron. contr. Vigilātium. Suidas in vita eius.*

142. Contra hos aduerſarios, vt olim, ita modò pugnat Sponſa CHRISTI, Romana inquam & Catholica Eccleſia, ſcripturarum auctoritate, patrum teſtimoniis, & ratione ex vtriſque deducta. Nos itaque, vt id quod ſumpſimus probandum, non verbis tantum nudis, ſed grauiſsimis patrum exemplis confirmemus; à veteri teſtamento exordium ſumemus: in quo legimus Iacobum adoraſſe Ioſephi ſceptrum, idque in fide, vt ait D. Paulus, Inſinuans vtique, ſanctum illum virum præuidiſſe regnum Ephraim futurum in poſteritate Ioſephi; & Chriſti imperium præfiguratum in Ioſepho tunc temporis AEgypti Principe, fideque adoraſſe ſceptrum aut verſus ſceptrum, quod idem eſt græcis interpretibus. *Geneſ. 47. Hebr. 11. Chryſo. hom. 26. in cap. 11. ad Hebr.*

143. Patriarchæ præterea, cæteraque legis naturæ lumina, non ſolùm magnificè ſuorum funera curabant, ac inſigni religionis cultu maioribus ſuis parentabant, ſed etiam multa grauiter ac cordatè de propriæ ſepulturæ ratione conſtituebant; *Ego* ait Iacob *congregor ad populum meum, ſepelite me cum patribus meis, in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron Ethæi.* Patriarcha item Ioſeph, ſimplici admonitione non contentus, etiam iureiurando fratres ſuos obſtrinxit, ne AEgypto excedentes, ſua oſſa ibidem deſerant. DEVS (inquit) *viſitabit vos, aſportate oſſa mea de loco iſto vobiſcum.* Hunc enim honorem deferebant ſancti viri, Sanctis maiorum ſuorum monumentis, atque reliquiis, vt magni beneficij loco ducerent, cum illis in eodem tumulo ſua coniungi corpora. *Gen. 23. 25. &c. cap. 50. Gen. 49. Gen. 50.*

144. Quam conſuetudinem reuerenter condendi Sanctorum corpora, adeò obſeruarunt Iudæi, vt non ſolum Prophetarum reliquias ſepulchrorum ornatu vario honorarent, ſed etiam corpora ipſa reuerenter tractarent; Hinc commendatur Ioſephi pietas, quod Chriſti ſacratiſsimum corpus ſyndoni inuolutum ſepulturæ mandarit; tum etiam ſanctarum mulierum, quæ corpus iam demortuum vncturæ ad ſepulchrum accedebant, vt in premium laboris ſancti, videantur primæ poſt reſurrectionem Dominum conſpexiſſe. *Marc. 15.*

Matth.26. 145. Nec tacendum eſt illuſtre illud Magdalenæ factum, effundentis vnguentum in caput Chriſti, quodque à Chriſto non modo commendatum, ſed etiam contra diſcipulos obmurmurantes vindicatum eſt, atque adeo in laudem mulieris iubetur prædicari in vniuerſo mundo, *eo quod hoc fecerit in corpus Domini ad ſepeliendum eum.* Laudantur etiam viri timorati; eò quod Stephani ſacrum corpus reuerenter terræ mandarant. Nec mirum ſane, fideles hunc honorem ſacro funeri detuliſſe, cum & lapides ipſos, qui corpus ſacrum attigerunt, diligenter conſeruarent; Narrat enim D. Auguſtinus lapidem quendam à Chriſtiano fuiſſe reſeruatum; & poſtea Anconæ in Italia relictum; vbi in memoriã martyris templum fuit conſtructum, & plurima facta miracula poſt ſacri corporis inuentionem.

Tom.10. ſer. 38. de diuerſ. in edit. pariſ.

146 Quanti porrò Deus ipſe ſeruorum ſuorum demortuorum corpora fecerit, vel ex eo patet, quod ipſe dicatur ſeruum ſuum Moyſen ſepeliuiſſe atq; abdidiſſe; cauſam verò huius putat Chryſoſtom. eſſe, ne forte Hæbræi ad κτισμολατρίαν plus ſatis proni, vltra decorum illud colerent. Quicquid de Moyſis corpore ſit, certe illud de Elizęi corpore negari non poteſt, magno fuiſſe honore affectum, cum ad eius cõtactum mortuus fuerit reſuſcitatus. Ad eum modum legimus Ioſephi demortui oſſa vaticinata eſſe. His adde Ioſiam regem, qui cùm euerteret ſepulchrum falſorum prophetarum, eorumque oſſa combureret, veri Prophetæ oſſa & ſepulchrum relinquebat intacta, quo facto honorem detuliſſe veri Prophetæ reliquiis, negari non poteſt.

Deuter. 34. Hom. 5. in Matth. 4. Reg. c. 23 Eccleſ. 49. 4. Reg. 23

147. Nec ſilentio præterire fas eſt illuſtrem illam Eſaię prophetiam, qua ſepulchrum Chriſti glorioſum quandoque futurum prædicit. Neque ſanctorum verba tantum aut corpora (inquit Chryſoſtomus hom. de virtutibus & vitiis) *ſed etiam corporis tegmina omni ſunt poſſeſſione auguſtiora. Helizæi ſiquidem leonina pellis Iordanem diſcindere fecit; trium puerorum calcei per ignes ambularũt. Elizæi lignum potuit vndarum mutare naturam, Moyſis virga mare rubrum dehiſcere iuſsit, petram diſrumpere valuit. Pauli veſtes morbos fuderunt, Petri vmbra mortem fugarunt; ſanctorum martyrum cinis improbos dæmones expulit. Summa igitur cum poteſtate omnia faciunt ſicut Helias.*

Eſa. 11. v. 10. Hiero. in ep. ad Marcellã. 4. Reg. 2. Daniel. 3. 4. Reg. 6. Exo. 14. & 16. Act. c. 19. & c. 5.

147. Hæc in veteri lege; nunc quæ in noua ad hanc rem illuſtrandam faciunt adferamus, vbi charitas perfectior, & reſurrectionis, cæteraque omnia fidei myſteria multo ſunt illuſtriora, & multo plus diuorum oſsibus & reliquiis eſt delatum. *Nam* (vt inquit Baſilius) *cùm apud Iudæos moriebantur, abominabilia erant mortuorum cadauera; cùm verò pro Chriſto contingit mors, precioſæ ſunt Sanctorum reliquiæ; & qui contingit oſſa martyris, ex gratia corpori inſidente, quandam ſanctificationis ſocietatem aſſumit.* Hęc fuit fides

Ioan. 1. & 14. In Pſal. 115.

atque

atque religio Chriſtianorum tempore magni illius Doctoris Baſilij; verum vnde habuerit initium paulo altius repetamus.

149. Scribit D. Matthæus mulierem, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, *tetigiſſe fimbriam veſtimenti Chriſti, ac intra ſe dixiſſe, ſi tetigero tantum veſtimentum eius, ſalua ero*; Marcus addit, *& confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis eius, & ſenſit corpore, quia ſanata eſſet à plaga*; Chriſtum etiam, cum nouiſſet virtutem ex ſe exiuiſſe, interrogaſſe, *quis ſe tangeret?* Vbi aduertendum eſt primum, deuotionem mulieris, tangētis fimbriā veſtimenti Chriſti, non vt ſuperſtitioni affinem reiectam, ſed vt magnæ fidei argumentum à Chriſto commendatam eſſe: deinde non ſolū verba Chriſti, ſed etiam veſtes, earumq́ue contactum ſanitatem infirmæ reſtituiſſe; virtute quadam ex perſona Chriſti, per ipſa vt inſtrumēta effluente. In huius rei monumentum, hæc eadem mulier Chriſti imaginem poſtea erexit; cuius veſtis fimbriam, cum herba quædam ſuccreſcens tetigiſſet, varia morborum genera ſanabat. *Matth. c. 9.* *Marc. c. 5.* *Luc. 8.* *Euſeb. l. 7. hiſt. c. 14.*

150. Quod illuſtre teſtimonium veritatis non ferre valens Satanas, per Iulianum Apoſtatam eodem ſpiritu afflatum, quo Caluinates noſtri curauit confringi. Non video ergo cur ſuperſtitionis modo ſint damnandi Catholici, qui ſimili fide & erga Deū charitate incenſa accedūt ad reliquias Sanctorum, ſanitatem per Chriſti virtutem in diuis operãtis, percepturi, qua hęc mulier, & alij Iudæi, *qui obtulerunt Chriſto omnes male habentes, & rogabant eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent, & quicunque tetigerunt, ſalui facti ſunt*; cum æque facile Chriſto ſit per reliquias Sanctorum, ac per veſtem ſuam propriam miracula operari. *Sozom. l. 5. hiſt. c. 20.* *Chriſoſt. in vita Babylæ.* *Baſil. in Pſal. 115.* *Matth. c. 14.*

151. *Augebatur* (inquit D. Lucas) *credentium in Domino multitudo virorū ac mulierum; ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis. Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis* (ait Auguſtinus) *quanto magis nunc plenitudo virtutis? ſi tunc ſupplicantibus proderat aura quadam pertranſeuntis, quanto magis gratia nunc permanentis? Meritò per omnes Chriſti eccleſias auro precioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio viſitantis, quanto magis catena vincientis? Si manis quædam ſpecies vacuæ imaginis habere potuit in ſe vim ſalutis, quanto plus de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis, ferreo pondere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis?* hæc ille. *Act. 5. v. 15.* *Aug. ſerm. 29. de Sanct.*

152. Tempore Apoſtolorum nulla habebatur iniuria Chriſti, aut nominis eius, ſi à reliquiis Apoſtolorum peteretur ſanitas, & curatio corporalis, *Virtutes* (ait D. Lucas) *non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria, vel ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Dæmones ipſi, *Act. 19. v. 11*

 veritati

Chryſ. in vita Babyl., veritatē victi coguntur fuga ſua fateri virtutem ineſſe reliquiis Apoſto-
Theſi 223. lorum, quod tamen noui præcones Euangelij confiteri non volunt; ſed inſtar Iudæorum in nomine Beelzebub eiici dæmonia clamitant.

153. Nec ſolum ſudaria & ſemicinctia, ſed etiam nomen Pauli hor-
Act. 19. rendum fuit immundis ſpiritibus, *Paulum* (inquit immundus ſpiritus)
Hier. in vita Hilar. *ſcio, vos autem vnde eſtis?* nec mirum ſane, cum Hieronymus ſcribat nomen etiam D. Hylarionis ſuper poſſeſſos inuocatum, dæmones eieciſſe; nouerat etiam ſatanas nomen & reliquias ſancti martyris Babylæ, ſed ferre
Chriſ. in vita Babylæ. non valens, hoſpicium ſuum deſerere coactus eſt.

154. De catenis glorioſiſſimorum Apoſtolorum quid dicā, aut quid dici poteſt magnificentius, quā quod habet de illis Auguſt. atq; Chryſo-
Serm. 29. de Sanctis. ſtomus? *Fœlices illi nexus* (inquit Aug:) *qui de manicis & compedibus in coronam mutādi, Apoſtolū cōtingentes martyrē reddiderunt: fœlices catenæ, quæ nudatis pene oſſibus inhærentes, viuas reliquias de ſanguinis ſudore, iam attrita carne rapuerunt,*
Chri. hom. 5. ad pop. Ant. & hom. 5. de Beato Ioh. *tactusq́, membrorum cruciatus ſui ſanctificat inſtrumentum, in quo dum afflictio creſcit ad pœnam, cauſa pœnæ proficit ad gloriam.* Deſiderabat etiam Chryſoſtomus ad tempus eſſe in illo loco, vbi erat catena Pauli, & intueri vincula, quæ dæmones timent, angeliq́ue reuerentur.

Greg. l. 3. ep. 30. ad Conſtant. Auguſtam. 155. Præclara ſcribit D. Greg. de veneratione reliquiarum, ac inter cætera de catenis Pauli ſic ad verbum habet. *Quia sereniſſimæ Dominæ tam religioſum deſiderium* (petebat enim aliquam partem capitis D. Pauli) *eſſe vacuum non debet, de catenis, quas ipſe ſanctus Paulus Apoſtolus in collo & in manibus geſtauit, ex quibus multa miracula in populo demonſtrantur, partem aliquam vobis tranſmittere curabo, ſi tamen hanc tollere limando prævaluero: quia dum frequenter ex catenis eiſdem, multi venientes benedictionem petunt, vt parum quid ex limatura accipiant, aſſiſtit ſacerdos cum lima, & aliquibus petentibus ita concitè aliquid de catenis ipſis excutitur, vt mora nulla ſit. Quibuſdam verò petentibus, diu per catenas ipſas ducitur lima, & tamen vt aliquid exinde exeat, non obtinetur.* hæc ille.

156. Nec ſane mirum videri debet aut impoſsibile, quod hæc admiranda fiant per exuuias diuorum, cum ipſe ſanctorū dominus hoc futu-
Ioan. 14. rum aperte promiſerit, *Amen amē, dico vobis* (ait ille) *qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*; quam Chriſti promiſsionē impletam eſſe, non ſolùm in miraculis factis per vmbram, ſudaria, & veſtes
Chryſ. in vita Babylæ. Apoſtolorum docet Chryſoſtomus, ſed quotidie impleri ad monumēta martyrum, indeque probat Chriſti diuinitatem.

157. Hanc fidem quam Chriſtus commendat, videmus ex variis ac quotidianis miraculis in Eccleſia Romana vigere; econtra verò in ſynagogis Nouatorum, mirum non eſt, ſi miracula non cernuntur, vbi pro fide perfidia dominatur. Proinde cū nihil ipſi præſtare poſsint, ad com-

munem

munem blaſphemandi ancoram ſeſe cõferunt,ac vt olim Iudæi,ita modo iſti clamant in nomine Beelzebub eiici dæmonia; præſtigiis diabolicis omnia à papiſtis fieri. Sed quam falſo hæc cõuicia effundantur poſtea docebimus,quandò de miraculis Sanctorum diſputaturi ſumus.

158. Apoſtolus Petrus haud eſt veritus montem illum ſanctum appellare, in quo Chriſtus transfiguratus eſt, probe vtiq; intelligens, locũ ex Chriſti præſentia ſanctitatem quandam acquiſiuiſſe; quemadmodũ & ſibi Moyſes iubetur calceamenta exuere,eò quòd locus ſanctus eſſet in quo ſtaret,nimirum propter Dei,vel angeli præſentiam. Hinc creuit religio illa,ac deuotio antiquorum Chriſtianorum,ad inuiſendum montem Thabor,vt teſtatur D.Hieronymus. 2. Pet. 1. Exod. 3. Hier. ep. 17. 18. ad Marcellã. 27. de terra ſancta. & in epitaphio Paulæ.

159. Et vt finem tandem ſcripturis imponamus; Paulus, dum agit de tabernaculo veteris legis,inter alia,cõmemorat illuſtriores reliquias, quæ in illo conſeruabantur. *Poſt velamentum* (inquit) *ſecundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, & arcam teſtamenti, circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti.* Hæc omnia, vt monumenta diuinorum beneficiorum, magna reuerentia apud antiquum populum habebantur, atq; adeo per miraculum aſſeruabantur; fieri enim non poterat, vt manna ex natura ſua corruptibile, tot ſæculis citrà miraculum cuſtodiretur integrũ;præterea, non poteſt viribus naturæ aſcribi,quod virga illa Aaronis floruerit. Vnde neceſſario fatendum eſt has reliquias ſacras, earumque venerationem Deo Opt.Max.pergratam eſſe. Heb. c. 9.

160. Quòd ſi auctor fidei noſtræ, tanti fecerit hæc munerũ ſuorum monimenta, populumq; Iudaicum, vel hoc nomine laudari voluerit, quod ea reuerenter cuſtodierit; adeo ne illum ſanctorũ ſuorũ, imo gratiæ & gloriæ ſuæ,in diuis relucentis immemorem eſſe,noſq; immemores eſſe velle exiſtimabimus, vt non velit à nobisglorioſa illa inſtrumenta ſalutis noſtræ, arcas vere aureas, id eſt, charitate Chriſti fulgentes, vrnas precioſas,quibus non manna,virga,aut tabulæ lapideæ,ſed Spiritus ſanctus,dona præſtantiſsima,ac virtutes diuinæ operabantur, cultu debito venerari? affirmet Vigilantius, Iulianus irrideat,Caluinus cum Luthero ſuo frangant,lacerent,flammis abſumant,& aquis ſubmergant quantum velint; Eccleſia tamen Chriſti, ſibi ſemper ſimilis, non deſinet ea colere,dominique ſui virtutem in illis admirari.

161. Iam verò ex aliis capitibus probemus, hunc reliquiarum cultum, ac venerationem DEO acceptam eſſe. Ac primum quidem ex ipſa earum aſſeruatione admirabili. Hieronymus in vita Hilarionis ſic ſcribit, *Heſychius corpus Hilarionis Maioniam deferens, totis monachorum, & oppidorum turbis proſequentibus, in antiquo monaſterio*

condidit,

condidit, illæſa tunica, cuculla, & palliolo, & toto corpore, quaſi adhuc viuente, integro, tantiſq; fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putaretur Vincentius Dacia-
Serm. 12. de Sanctis. *ni rabie peremptus* (inquit Auguſtinus) *feris exponitur conſumendus, ſed coruo famulante ſeruatur.* Et iterùm, *Coruus obſequitur, lupus veneratur, Dacianus perſequitur.* Et iterùm, *Quod vero tanta cura ſeruauit dominus martyris corpus, quid aliud demonſtrauit, niſi gubernaſſe ſe viuentem, quem non reliquit exanimem.* Idem docet corpora D. Geruaſij & Protaſij integra fuiſſe reperta. D. Martini corpus, quaſi glorioſum apparuiſſe docet Sulpitius. Idem de corpore S. Franciſci refert D. Bonauentura; Eduardi regis Angliæ corpus poſt 36. annos integrũ atq; illæſum fuiſſe inuentũ teſtatur hiſtoria. Ex corporibus Andreæ, Matthæi, aliorumque Sanctorum in hodiernum diem oleum quoddam puriſsimum fluere omnes quotquot ſepulchris eorũ adfuerunt, teſtificantur.

li.9. confeſſ. c.7. et Amb. ſerm. 91. & epiſt. 85. Sulpi. l. 2. de vita S. Martini.

162. Bernardinus Scardeonius refert B. Iordani & Compagni, Helenæ atque Beatricis corpora incorrupta, integra, illæſa admirabili quodam ſpectaculo totis his trecentis annis, & amplius Patauij conſeruari. Scribit Alanus Copus corpus D. Cuthberti, qui vixit ante Bedam, ante paucos annos integrum eſſe repertum in Anglia, dum ſanctorum ſepulchra à nouis reformatoribus euerterentur. De aliorum Sanctorum corporibus, quæ poſt multa ſæcula ſunt inuenta integra, & nonnunquam ſanguine madentia quaſi recens cęſa, ſcribunt alij, vt de reliquiis Stephani Lucianus, Gregorij Armenij, & Leontij Ceſareæ Epiſcopi Metaphraſtes; Etheldredæ, & Cuthberti Beda.

De antiq. vrbis Patau. Dial. 3. c. 29. Lucian. in narrat. de inuent. S. Stephani. Metaphr. in vitis eorũ. Beda hiſt. Aug. l. 4. c. 19. 20 & 30.

162 Deinde miraculoſa quorundam diuorum corporum inuentio, teſtatur Deum noluiſſe reliquias Sanctas ſine honore debito latitare in obſcuris locis; nam Ambroſius per reuelationem inuenit corpora Geruaſij ac Protaſij; Stephanus protomartyr Luciano presbytero oſtenſus eſt; Sebaſtianus Luſcinæ prænobili matronæ. De corporibus Abaci & Abdię prophetarum, idem ſcribit Sozomenus, Beda etiam de inuentione capitis D. Ioannis Baptiſtæ multa habet.

Theſi præcedenti. lib. 7. c. vlt.

164. De miraculis verò quæ ad ſepulchra Sanctorum ab eccleſiæ exordiis, vſque ad noſtra tempora facta ſunt, velle pauca dicere eſſet infinitum aggredi, cum de Sanctorum prodigiis integra ſint volumina conſcripta [a] à Gregorio Turonenſi, [b] Hieronymo, [c] Seuero Sulpitio, [d] D. Auguſtino, [e] D. Gregorio, [f] Venerabili Beda, [g] Aloiſio Lipomanno, [h] Laurentio Surio, [i] Theodoreto, [k] Chryſoſtomo, [l] Sim[illegible] Metaphraſte; & aliis doctiſsimis viris, quorum nomina inferius citabimus in capite de miraculis.

a In libris 4 de miraculis S. Martini. b In vita Hilarionis. c In vita S. Martini.

d l. 22. de ciu. c. 8. e in dialogis. f in hiſt. gentis Anglorũ. g in tomis de vitis Sanctorum. h in hiſtoriis Sanctorum. i In hiſtoria Sanctorum patrum. k in vita Babyle. l in vitis Sanctorum.

165. Hæc-

165. Hactenus videor, diuinis potius quam humanis teſtimoniis, reliquiarum cultum approbaſſe, quoniam non modo ex ſcripturis ſacris, verum etiam ex miraculis petita confirmatio diuina eſt cenſenda, quippe quæ naturæ viribus fulciri non queat. Nunc ad patrũ noſtrorũ, ac piorum maiorum facta contemplanda deſcendamus; vt inde etiam conuincamus hæreticorum perfidiam, ſanctarumque reliquiarum cultum aſtruamus. Palam etenim eſt, omniumque ſæculorum hiſtoriis patet, pios Chriſti fideles, magna tum animi deuotione, tum pompa non vulgari (cum id per tyrannorum crudelitatem liceret) Sanctorum reliquias ab vno loco ad alterum tranſtuliſſe, magnum exiſtimantes beneficium, ſi per præſentes diui alicuius reliquias, eius patrocinium conſequerentur.

166. Sic Chriſtiani olim [a] oſſa glorioſi martyris Ignatij Roma tranſtulerunt Antiochiam. [b] Cornelius papa corpora Petri & Pauli, ex catacumbis in ea loca, in quibus modo ſunt; [c] ſic Meletij reliquiæ Conſtantinopoli Antiochiam magna pompa ſunt delatæ; Mediolani [d] SS. Geruaſij & Protaſij corpora inuenta ab Ambroſio totius vrbis applauſu transferuntur; idem [e] de reliquiis Babylæ narrat Socrates atque Ruffinus; de [f] Chryſoſtomi Nicephorus monachus, & Caſsiodorus in hiſtoria tripartita; de Flauiani [g] Theodoretus; de [h] reliquiis Apoſtolorum in Angliam miſsis, Beda; de corpore D. [i] Pauli Cõſtantinopolim tranſlato; de corporibus [k] Ieremiæ Prophetæ, Lucæ & Timothei idem ſcribit Dorotheus atque Hieronymus; nec opus eſt plures ſcriptores recenſere cum aduerſarij ipſi fateantur, non ſolum prædictorum Sanctorum, ſed etiam Nebaſti, Zenonis, Aceplimæ, Hilarionis, Zachariæ, Samuelis, & Micheæ Prophetarum, Barnabæ, Laurenti, Stephani, Agnetis, Euſtachij reliquias, à maioribus noſtris tranſlatas fuiſſe. Magdeburgenſes Cent. 4. c. 6. & Cent. 5. c. 6.

a Niceph. l. 3. c. 19. hiſt. b Damaſus. c Sozomenus l. 7. c. 10. d Amb. ep. 85 e Socrat. l. 3. c. 18. Ruff. l. 1. c. 35. f Nicephorus monach. in vita Theod. l. 10. tripart. c. 26. g Theodor. l. 5. c. 37. h lib. 1. hiſt. Ang. c. 37. i tripart. l. 9. c. 17.

k Dorotheus in Synopſi. l. Hieron. in catalogo. & l. 2. contra Vigilantium. Conc. Moguntinum c. 51. habetur de cõſecr. d. 1. c. Corpora. Hieron. contra Vigilantium.

167. Illud præterea obſeruatum eſt à piis maioribus, vt in locis honoratiſsimis, ſub altari nimirùm Dei, in quo diuina peraguntur myſteria, aut ſepulchris ornatiſsimis, Sanctorum reliquiæ reconderentur, aut thecis aureis argenteiſue, & inuolucris precioſis incluſę conſeruarentur.

Amb. exhor. ad virgines, & in ep. ad ſororē de inuętione Geruaſij & Protaſij. Hieron. cont. Vigilant. & in epiſt. Paulæ. Auguſt. ſerm. 11. de Sanctis. & l. 6. Confeſſ. c. 2. Sozomenus l. 5. hiſt. c. 8. Con. Carthaginenſ. 5. c. 15. Chriſoſt. hom. 66. ad pop. Ant. ſerm. S S. Maximi & Iuuentij. & orat. in Babylam. Paulinus in vita S. Felicis. Ruffinus l. 2. hiſt. c. 27. Hiſt. tripart. l. 5. c. 32. l. 6. c. 34. l. 9. c. 48. Prudentius hymno 4 in. 18. Cęſarauguſtanos.

168. In ſignum porro venerationis, ſolebant primi Chriſtiani coram reliquiis, imaginibus, & monumentis Sanctorum lumina accende-

Cont. Vigil. re,vt eſt videre apud [1] Hieronymum, [2] Paulinum, [3] Theodoretū, [4] Au-
2 In natali. relianum,& [5] Gregorium magnum. Quanta porro cura,& periculo cō-
3. Felicis. ſeruarint ſanctiſsimi maiores reliquias Diuorum, quantaq; immanita-
3 lib. 5. hiſt. cap. 36. te contrà,in eaſdem ſæuierint hoſtes nominis & religionis Chriſtianę,ne
4 In vita S. Martialis. ſcilicet à noſtris adorarentur,abunde teſtantur Ruffinus atq; Euſebius.
Iuliani ſiquidem tēporibus (vt auctor eſt Ruffinus) [6] *Velut relaxatis fre-*
5 Dial. 1. c. 5. & dial. 3. c. 24. *nis efferbuit in omnem ſæuitiam feritas Paganorum. Ex quo accidit, vt apud Sebaſten Paleſtinæ vrbem ſepulchrum Ioānis Baptiſtæ mente rabida, & funeſtis manibus inuaderent, oſſa diſpergerent, atque ea rurſum collecta, igni cremarent, & ſanctos cineres*
6 lib. 2. hiſt. c. 28. *puluer immixtos per agros & rura diſpergerent; ſed Dei prouidentia factum eſt, quoſdam de Hieroſolymis ex monaſterio Philippi hominis Dei, orationis illuc cauſa per idem tempus veniſſe. Qui cum tantum nephas humanis quidem manibus, ſed ferina mente fieri viderent, mori gratius habentes, quam huiuſmodi piaculo funeſtari, inter eos qui oſſa ad exurendum legebant, mixti diligentius in quantum res patiebatur, ac religioſius congregantes, furtim ſe vel ſtupentibus, vel inſanientibus ſubtraxere, & ad religioſum patrem Philippum venerandas reliquias pertulere. Ille ſupra ſe ducens tantum theſaurum propriis ſeruare vigilijs, ad Pōtificem maximum tunc Athanaſium, hoſtiæ immaculatæ reliquias per Iulianum Diaconum ſuum, poſt etiam Paleſtinæ vrbis Epiſcopum mittit. Quas ille ſuſceptas, paucis arbitris ſub cauato ſacrarij pariete incluſas prophetico ſpiritu profuturas generationi poſteræ conſeruauit. Intantum verò*
l. 8. hiſt. c. 8. *apud* (idololatras inquit Euſebius) *rabies crudelitatis exarſit, vt regios pueros Dorotheum & Gorgonium martyres effectos, cum ſecundū humanitatis ordinem fuiſſent ſepulturæ mandati, effoderent denuo, & corpora eorum proijcerent in mare, hoc dicentes, ne forte dij efficiantur Chriſtianorum, & illi qui Deos adorare nolunt, ſeruos noſtros incipiant adorare.*

169. Quid porrò ad reliquiarum venerationem,atq; honorem fieri potuit illuſtrius,quam quod ipſa bruta animantia contra naturæ ſuæ impetum, à Deo fuerint cohibita, ne ſacratiſsima corpora ſibi obiecta
l. 5. hiſt. c. 3. dilaniarent? quod factum eſſe in martyris Attali & Blandiniæ teſtatur
Ep. ad Rom. Euſebius. Hinc admirabilis ille vir Ignatius, *Vtinam* (inquit) *fruar beſtijs,*
Theſi 161. *quæ mihi paratæ ſunt, quas & opto mihi veloces eſſe ad meum interitum, & allici vt celerius me comedant, ne ſicut in alijs territæ ſint, & non eos tetigerunt.*

170. Nec ſane mirandum eſt, Sanctos noſtros maiores, tanto ſtudio quæſiuiſſe, tantoque precio habuiſſe diuorum corpora, parteſque corporum, quę templa fuerunt ſpiritus ſancti, domicilia virtutum diuinarum, ac ſalutis multorum inſtrumenta; cum prudentes huius ſæculi, iure optimo magni faciant, non modo animalia varia, ſed plantas etiam atque lapides, ob admirabiles quaſdam virtutes, ipſis à præpotente Deo communicatas, ni forte putemus virtutes has corporeas ac corruptibiles, donis Dei cæleſtibus ac diuinis, eſſe præferendas.

171. His

171. His ergo ac ſimilibus cauſis commoti patres antiqui, ſummo honore reliquias diuorum affecerunt, ſcriptiſq; libris eundem cultum propagarunt, & propugnarunt, ac viua voce fideli populo commendarunt. [a] Chryſoſtomus, [b] Baſilius, [c] Nazianzenus, [d] Auguſt. [e] Hieronymus, [f] Greg. Niſſenus, [g] Theodoretus, [h] Ambroſius, [i] Athanaſius, [k] Dorotheus, [l] Epiphanius, [m] Ruffinus, [n] Proſper, [o] Prudentius, [p] Seuerus Sulpitius, [q] Cyrillus, [r] Gregorius Romanus, & [ſ] Gregorius Turonenſis.

a *In Babyla.* b *In 40. mart.* c *orat. 1. in Iul. orat. in Cyprian.* d *l. 22. de ciuit. c. 8.* e *Contra Vigilant. & in vita Hilar.* f *In vita Theodori.* g *lib. 8. Græc. aff.* h *In ſerm. 91. & ep. 85.* i *Nicen. Synod. 2. act. 3.* k *In vita Eunuch.* l *In vita Ierem. Eſaiæ. Ezechielis.* m *Lib. 1. hiſt. c. 10. 35.* n *De promiſſ. & prædict. c. 6.* o *In Vincentio.* p *In vita D. Martini.* q *l. 6. cont. Iul.* r *In Dial.*

172. Pari modo Concilia ſacra de cultu reliquiarum decreta varia poſuerunt, vt ne vlla [a] ſit memoria martyrum, vbi reliquiæ illorum nõ reperiũtur. Ne [b] ſacramẽta diſtribuantur niſi in Eccleſia, vbi martyrum reliquiæ ſunt depoſitæ; ne [c] quis ſub pœna anathematis abominetur conuentus, qui ad confeſsiones martyrum celebrentur; ne miniſteria quæ in eis fiunt, ſimul cum eorum memoriis execrentur; vt [d] in feſtis diebus, arca domini cum reliquiis ſanctis ab Epiſcopis vel Diaconis ſolis deportentur; ne [e] ponantur in templis, vbi non ſunt Clerici; ne [f] transferantur ſine conſenſu Epiſcopi. His aſtipulantur Concilia generalia, Nicenum ſecundum act. 3. *Seruator* (inquit) *noſter Chriſtus fontes ſalutares Sanctorum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia fundentes, martyrum enim oſſa virtutes multas operantur, atque id per Chriſtum, qui in ipſis habitat.* Concilium Lateranenſe ſub Innocentio 3. can. 61. *Statuimus vt antiquæ reliquiæ amodo extra capſam non oſtendantur. Inuentas autem de nouo, nemo publice venerari præſumat, niſi prius auctoritate Romani Põtificis fuerint approbatæ.* & Concil. Tridentinum.

a *Carthag. 5. c. 14. de conſecrat. d. 1. c. placuit.* b *Cõ. Martinipp. c. 69. habetur d. cit. c. Non oportet.* c *Conc. Gangrenſe c. vlt.* d *Con. Bracarenſe 3. c. 5.* e *Con. Epaunenſe c. 25.* f *Con. Moguntinum c. 57. Septima Synodus gen. act. 3. & 7.*

CAPVT VII.

In quo docetur â Catholicis rectè templa in honorem Dei, & Sanctorum eius conſtrui atq; ornari; vt etiam ſepulchra diuorum.

173.

AD cultum Sãctorũ plurimũ facit, quòd in eorũ honorẽ tẽpla cõſtruantur, ac ſepulchra ornatu vario erigantur: proinde ratio poſtulat, vt de huiuſmodi tẽplis, pauca quædã in mediũ proferamus, Nouatorumq; erroneas de illis ſententias exponamus primùm, deinde confutemus.

a *Puritani in Anglia. Franciſc. Lambertus in cap. 2. Lucæ. Sebaſtian. Meyer in c. 21. apoc.*
b *in vita Bernardi l. 2. c. 5*

174. Sunt enim quidam ita a affecti, vt templa potius euertenda quam conſtruenda, maxime verò Catholicorum putent, ſequuti hac in re b Petrobruſianos ac c Vandalos Arianos. Huſsitæ porrò dum templum Dei totum mundum conſtituerent, ſe non velle maieſtatem eius ad Eccleſias vel oratoria cõſtringere dicebant. Contra verò d VValdenſes, vt adorationem, quæ ſacræ tributur eucharistiæ remouerent, Deum cælo concludebant, eoque adorationis locum circumſcribebant.

c *Victor de perſecut. Vandal. l. 1.* d *VValdenſes in confeſſ. quæ extat in faſciculo rerum expetendarum.*

e *Guido Car. error. 9.*
In c. 2. Lucæ
Cent. 7. c. 6. Trithemius in Chronicis.

175. Fuerunt etiam e Pſeudoapoſtoli à Segarello Parmenſi, & Dulcino Nauarrienſi orti, qui clamitabant conſecratam Eccleſiam, nó plus valere ad orandum, quam ſtabulum porcorum, nec diſcernendas aras ab haris, nec melius adorare Chriſtum in templis, quàm in ſyluis. His conſpirat Franciſcus Lambertus, impie (inquit) quidam multiplicarũt templa, in eis volentes potius quam alibi Deum orari. Magdeburgenſes etiam vna cum Lolhardis irrident conſecrationes Eccleſiarum. Ornatum verò, qui à piis maioribus adhibitus eſt, vna cum veſtibus ſacris, & id genus aliis, omnino è medio tollunt, indignè cum Iuda ferẽtes hos ſumptus inutiliter (vt aiunt) impendi, ſiue in Dei, ſiue in Sanctorum id fiat honorem.

176. Hos igitur errores hoc in loco conuellemus, ac primo quidem docebimus licitum eſſe in honorem Dei templa conſtruere, atque conſecrare: deinde poſſe etiam Deo in honorem Sanctorum, non ſolùm templa ædificari, ſed præterea ſepulchra diuorum ornari.

Deus vbiq; adorari poteſt.
Act. 17.
Pſal. 138.
Pſal. 102.
Malach. 1.

177. Fatemur equidem Iouis omnia plena, *nec procul agere ab vnoquoque noſtrum, ipſius enim genus ſumus, & in ipſo mouemur, viuimus & ſumus*: meritò vt Dauid diceret, *quo ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero ad infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*; ac propterea quia cælũ & terram Deus implet, dominique eſt terra & plenitudo eius; *ideo in omni loco dominationis eius benedicat anima noſtra domino*, ſecundum prophetiam Malachiæ prædicentis in omni loco ſacrificandum domino.

Eſa. 66.
Act. 17.

178. Quamobrem, qui vnius alicuius loci ambitu Deum, vel eius cultum definit aut circumſcribit, ille palàm Iudaiſat; non enim loco indiget Deus, vt ſit vel operetur; hinc per Prophetam (inquit) *quam domum ædificabitis mihi, cælum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum*. Paulus etiam, *Deus* (inquit) *qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cum ſit dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, tanquàm indigens aliquo.*

179. Pari

179. Pari modo, quemadmodum Deus vbique eſt, nec cælo tantum conſtringitur; ita vult in omni loco puras manus leuantes exaudire; *non enim locus*(ait Baſilius) *ſed affectus ſeu intentio requiritur, Deum medio in mari Moyſes exorauit, Iob in ſterquilinio, Ezechias in lectulo ad miſericordiā prouocauit: Hieremias in luto, Ionas in ceto, Daniel in lacu placauit, pueri in camino promeruere, latro in cruce, Petrus atque Paulus in carcere, igitur & tu vbicunq; fueris, ora.* Et hæc de VValdenſium errore ſufficiant. *Baſil. in exhort. ad baptiſmum & pœnit. iam.*

180. Fatentur Catholici, Dei eſſentiā & naturam omnē locū implere, eiuſque prouidentiam tam latè patere, vt vbique adſit, audiat, & opituletur; non tamen æque omnibus rebus adeſſe: ac proinde nec vbiq;, nec æqualiter parem ipſi deberi cultum & adorationem. Longe etenim hæc inter ſe differunt, Deum vbique præſentem colendum eſſe, atque æqualiter rebus omnibus aſsiſtere. Deus nō æqualiter omnibus rebus adeſt.

181. Nam quò propius creatura ad Deum accedit, eò arctius ſibi præſentem habet, vt dubium nō ſit, Chriſto homini diuinam eſſentiam arctius & coniunctius quam aliis creaturis adfuiſſe, quia natura humana ſuſtentatur in perſona filij, adeo vt in vnam cum illo perſonam conglutinetur.

182. Adhæc, non tantum ſpectandum eſt, quid adoretur, ſed cauſa & ratio, cur adoretur eſt attendenda; in Deo autem tam naturæ excellentia, quam operationum dignitas in cultu venerationis habet ſuum locum, ac proinde quia Deus non vbique diuinitatis ſuæ, dominatus, ac poteſtatis paria edit argumenta, nec perinde confert dona ſua, ideo non vbique pari cultū à patribus adoratur, ſed in iis potiſsimum locis, in quibus mortalium ſenſibus viſus eſt apparuiſſe. Deus nō vbique pari modo colitur.

183. Hinc Abraham altare ædificauit Deo, eumque inuocauit in eo loco, vbi apparuit illi dominus, & vocauit Bethel, id eſt, domum DEI, redibatque eò quoties licebat ad adorationem. Item alibi pronus in faciem cecidit in eo loco, vbi Dominus illi apparebat, quod proculdubio adorationis ſymbolum fuit atque indicium. Sic Iacob cùm viſionem in ſomnio ſibi oblatam conſideraſſet, *Verè* (inquit) *Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam; Non eſt hic aliud niſi Dominus Dei, & porta cæli*; poſtea verò quā adoraſſet, nomen Bethel indidit, aramque ibidem conſtruxit à peregrinatione, & nomen Dei inuocauit. *Gen. c. 12. 13.* *Gen. 17.* *Geneſ. 35.*

184. Moyſes etiam cum Dei ſingulari aſpectu, vel colloquio frueretur, ſua ſponte procumbens Deum adorabat. Præterea quoties Deus in columna nubis ſe oſtendebat, tabernaculo fœderis inſidens, toties populus licet non iuſſus, per fores pauilionum ſuorum, verſus tabernaculum adorabat. *Exod. 34.* *Exod. 33.*

185. Deus præterea ipſe vetuit locum ſua præſentia quaſi conſe-

eratum,illotis pedibus, ac ſine vllo venerationis cultu calcari; ſic Moyſi ad rubrum ardentem feſtinanti ait, *Ne appropies huc, ſolue calceamentum de*
Exod. c.3. *pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* id ipſum Ioſue repetit ſe-
Ioſue c.5. cum colloquenti.

186. Interminatus porrò eſt diram necem populo, ſi propius mon-
Exod. 19. tem contingeret, aut ſi ſine ſanctificatione ac præparatione oculos in montem attolleret, vbi editurus erat inconſuetum præſentiæ ac potentiæ ſpectaculum: huius cauſa Moyſes montem inſtar templi, poſito altari ſacrauit, ibique ſtatuit à populo adorationis ſacrificium fieri.

187. Præterea, quemadmodum in medio populi ſui locum elegit
Deut. 12. Deus, nimirum tabernaculum primùm, & deinde templum, vbi no-
3. Reg. 8. men ſuum volebat modo quodam ſingulari inuocari, atq; adeo habitaret; ita peculiarem cultum & adorationem exegit; multoque clementius ibi cum populo ſuo, quam alibi egit, & ſacrificia oblata vna cum
3. Reg. c.9. votis gratiora habuit. *Sanctificaui* (inquit) *domum hanc quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.*

189. Sed nec in toto tabernaculo & templo pariter ſe præſentē monſtrauit, ſed quaſi penetralia diuinitatis ſuæ abdita in parte templi habitantis ſecreuit, ſanctaque ſanctorum vocari voluit, paucis iiſque ſacratis hominibus aperta, à quibus videri manifeſtius ac coli religioſius, quam ab aliis voluit, pro menſura ſuæ præſentiæ.

190. Verum nec eo, quaſi ſuarum ædium conclaui, contentus fuit præpotens Deus, ſed quaſi quoddam diuinitatis ſuę ſcrinium, arcam fabricari iuſsit; quę ipſum videretur aliquo pacto cōuenientius capere, & de qua familiarius oracula daret, ac vota populi exciperet: quapropter in illuſtriori ſede templi ipſam recondi mandauit, adorationemq; maiorem coram ipſa exhiberi.

191. Grauiter proinde puniuit eos, qui profanis manibus auſi ſunt
2. Reg. c.6. arcam attractare, aut in locis pollutis collocare, aut non quanta fieri potuit religione venerari. Sic Ozam percuſsit, quia manum collabenti ar-
1. Reg. 5. cæ admouiſſet, & Philiſtæos affecit vlcere peſsimo, quia arcam cum idolis collocaſſent.

192. Hinc ergo intelligi poteſt malitia non occæcatis, Deū ſic vbiq; eſſe, ac vbiq; adorari poſſe, vt interim ſine maieſtatis ſuæ immunitione, imo maxima nominis veneratione, in certis quibuſdam locis poſsit adorari, cum & ipſe hoc fieri præcepit, & ſanctiſsimi viri exemplis viuis id fieri debere commonſtrarint.

183. Iam verò ſi Deus inæqualiter habitat in creaturis ſuis, & non

eodem

eodem modo in omnibus vult adorari, (ſiquidem aliter in Chriſto homine quam in alio, quoniam in illo habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, aliter in cælo, quam in cœno, quoniam illic diuinitatis lumen plenius & illuſtrius effunditur) profectò non eſt cur negemus templa illi in noua lege conſtruenda eſſe, in quibus ſacratiori quodam cultu, quam alibi nomen eius ſanctum honoretur.

194. Namq; vt Deus ſanctus, mundus, ac purus eſt, ita in ſanctitate, atq; omni munditie, & in locis ab omni ſorde repurgatis, gaudet adorari. Hinc in veteri lege voluit templum ſibi ædificari; laudatur Centurio, quòd ſynagogam Iudæis extruxiſſet, Chriſtus non ſemel templum Hieroſolymitanum ſua præſentia honorauit; Petrus etiam & Ioannes poſt Chriſti aſcenſionem in templũ aſcenderũt ad horã orationis nonã; Paulus ſimiliter intrauit in tẽplũ, expletionẽ purificationis annuncians donec offerretur oblatio. Frequenter Apoſtoli in Synagogis Iudæorum diſputarunt; quod haud dubie non feciſſent, ſi loca hæc intellexiſſent Deo eſſe inuiſa, aut orationem ibidem factam minus eſſe gratam. Deus in templis adoratur ſpecialiter. *Luc. c. 7.* *Act. 3.* *Act. 21.*

195. Quin contra vt ſibi grata eſſe loca huiuſmodi indicaret Chriſtus, grauiter tulit cùm videret templum conuerſum *in ſpeluncam latronum*, vel negotiationis, atque aliarum ſordium domum. Et quoniam Deus ſolitus erat atrociorem vltionem capere de illis, qui violabant, vel aliter defedabant templum ſanctum ſuum, ideo Apoſtolus veluti commune prouerbium extulit, *Si quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Dominus.* *Matth. 21.* *1. Corinth. 3.*

196. Non ergo omnem locum domum ſuam, in qua peculiari modo habitet, vocat, nec eam munditiem, religionem, ac ſanctitatem in omni loco requirit, quam depoſcit in ſuo templo: nec pollicitus eſt eam donorum ſuorum ſupellectilem ſe expoſiturum in omni loco, quam ſuo templo reſeruauit: ac propterea Chriſtus dicit Deum ſingulariter habitare in manufactis templis, non modo cum eam vocat domum patris, ſed etiam cum aſſerit, *quicunque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo.* *Matth. 23.*

197. Sunt præterea quædam orationis officia, quæ deputãtur à Deo locis, quæ ſua peculiari præſentia ſanctificauit, vel ſibi dicata vẽdicauit: cuiuſmodi eſt ſacrificium publicum, & externum; quod nõ niſi talibus in locis oblatum Deo ſolet eſſe gratum; nec vnquam aliter offerri fuit prçceptum; idq́; omnium gentium animis ratio impreſsit, ſicut ex Eſaia citat Chriſtus. *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus*, cum de ſacrificiorum genere & ſinceritate ageret. Sic enim habet textus, *Holocauſta & victima eorum placebunt mihi ſuper altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.* *Eſa. 56.*

198. Et

In templis maxime diuina myſteria diſpenſantur.

198. Et quemadmodum homines in domum Dei inferunt ſacrificium, quod ipſi debent in gratitudinem rerum acceptarum; ita viciſſim æquum fuerit, ex eadem domo, quaſi è quodam patrisfamilias penario depromi dona & munera, quæ hominibus partitur Deus & applicat, ac ſeipſum populo ſuo præſentiſsimum declarat. Talia ſunt potiſsimùm ſacramenta, quæ quaſi pixides, & armariola gratiæ diuinæ in nos defluentis cenſentur; ac propterea ritè pro illis templum & domus Dei, quaſi diuina officina deſignatur, in qua Deus ſpecialiter adeſt cunctis neceſsitatibus noſtris.

a Corinth. 11.

199. Hinc Paulus ſicut cõmunes epulas vetat in Eccleſia frequentari, ita iubet cœnam Domini, ibi & non intra priuatos parietes, vel profanos celebrari, ne id fiat indignè; inſinuans vtique Eccleſiam, velut locum ſacratum, ſacris tantum vſibus applicandum, & non profanis.

Antiquorũ feruor in tẽplis conſtituendis.

Metaphra. in vita S. Lucæ.

Abdias in vita Ioãnis. & in vita Simonis & Iuda. & l. 7. in vita Matth.

200. Tam erat hoc perſuaſum ſanctiſsimis illis, ac nobiliſsimis Chriſtianæ fidei præconibus, vt vbicunque Euangelium annunciarent, ibi etiam templa, quibus conuenirent Chriſtiani ſacra myſteria percepturi, à fundamẽtis extrui curarent. Narrat Abdias, Ioanne adhuc viuo, in honorem eius templum conſtructum; item fideles à Simone & Iuda Apoſtolis conuerſos, eccleſias Deo vero ædificaſſe. Matthæus ſuos hortatur Chriſtianos, vt templum extruant, cuique iam abſoluto, nomen Reſurrectio indidit.

Aurelianus Lemonicenſ. Epiſt. in vita Martialis.

201. Aurelianus præterea, Diui Martialis diſcipuli Chriſti, Auditor, *Altare in honore B. Stephani protomartyris conſanguineiq́; ſui conſecrauit, totumq; ipſum altare clauis affixit aureis, ac coronas in circuitu ſex poſuit aureas, cum totidem lampadibus aureis ad luminaria conſtituenda. Conſtituit & ſupra dictum, aliud Oratorium ante ſepulchrum ſuum, vt eſſet in honore Beati Petri Apoſtolorum Principis ac propinqui ſui, totum altare habens per quatuor angulos coronas. Ante altare verò ſeptem poſuit lampades ex auro puriſsimas, vt ibi mane & veſpere oleũ cremaretur. Iuſsit etiam fieri candelabra ex auro quinque, & thuribulum aureum vnũ, ac crucem auream ex auro ſimiliter fieri præcepit, ad ornatum Eccleſiæ ac officium altaris peragendum.*

202. Adeo hic mos conſtruendi templa increbuit tempore naſcentis Eccleſiæ, vt in ipſis perſecutionum ſæuiſsimis tempeſtatibus, nihil antiquius habuerint Chriſtiani, quam vt ipſas ſuas & amicorum ædes in Chriſti templa conſecrarent, vt eſt videre apud Metaphraſtem in vita Clementis Romani, & in vita S. Ceciliæ; apud Adonem in vita S. Anaſtaſiæ, & apud alios qui deſcripſerunt res geſtas Sanctorum.

a Chriſ. hom. 18. in act. Ap. Greg. l. 9. ep. 71. b Epiph. li. hær. 69.

203. Grauiſsimi etiam patres in hoc ſtrenuè laborare viſi ſunt: a alii vt ſubditos ſuos ac principes viros ad templa Chriſto erigenda hortarentur; Alij b vt eorum laudes celebrarent, qui eccleſias Chriſti ædificaſſent,

caſſent; Alij [c] deplangunt ſacrarum ędium ſub Antichriſto euerſionem, Alij [d] diuinitatem & gloriam Chriſti inde docent, quod templa in honorem eius paſsim cōſtruantur. Alij [e] inter ſumma perſecutionum mala enumerãt, quod domus orationis & eccleſiæ Dei viui ſolo ad æquatæ fuerint, atque funditus euerſæ, *Summa* (inquit Euſebius) *malorum nobis aſſuit omnium, tunc, cum domus orationis & Eccleſiæ Dei viui ad ſolum deductæ ſunt, atque ab ipſis ſubuerſæ ſunt fundamentis, diuinæ verò ſcripturæ in medio platearum igni crematæ ſunt, &c.*

c Hyppolitus martyr in orat. de conſummatione ſæculi.
d Chri. hom. quod Chriſt. ſit Deus.
e Euſeb. l. 8. hiſt. c. 1.

204. Quoniam verò moleſtum eſt ſingulos percenſere, vnũ Baſiliũ veluti ſui temporis teſtem ſanctiſsimum, inſtar omnium audiamus de templorum vſu loquentem. *Videamus* (inquit) *primùm de eo, quando quid loco non ſuo geritur. Ex his quæ ad Dei cultum olim tradita ſunt, alta ſic Hieroſolymis erant deputata, vt in aliis extra Hieruſalem locis, nemo facere auderet: nec quæ alibi fiebant, etiam in templo fieri protinus permittebantur. Nobis quoque periculum eſt, mandati male obiti loci rationem negligentibus, præſertim ſi ſacerdotij myſterium in locis profanis celebrauerimus, quod ea res & celebrantis contemptum indicaret, & multos quæ ſunt in rebus diuinis inſcitia, multiformiter offenderet, &c.*

Baſil. ſerm. de bapt. c. 8. & in fine reg. breuior.

205. Taceo, vt Catholicorum fuerit ſemper proprium templa cōſtruere, cultumque diuinum omni pietate ac religione promouere; id quod vbiq; per orbem terrarum à maioribus noſtris conſtructæ eccleſiæ teſtificantur; ſic contrà hæreticis gentile extitit, templa vaſtare, altaria euertere, in locis obſcuris ac fœdis ſua profana ſacra peragere, ac omnes ceremonias è medio tollere; quod teſtãtur ij qui ſcripſerunt de [1] Arrianis, [2] Vigilantio, [3] Donatiſtis, [4] Euſtachio, [5] Albigenſibus, [6] Petrobruſianis, [7] Bohemis Taboritis, [8] Meſſalianis, [9] Lolhardis, & aliis.

1 Victor. l. 1. de perſecut. Vandal. 2 Hier. in c. 65. Eſaiæ. 3 Optatus l. 6. contra Donat. 4 Concil. Gangrenſe ep. ad Epiſcopos Armeniæ. 5 Bernard. Luxemburg. 6 auctor vitæ D. Bernardi l. 2. c. 5. 7 Ioan. Bunderus in compendio. 8 Damaſc. hær. 80. 9 Trithem. in chronicis.

206. Et quidem hæc de templis dicta ſufficere potuiſſent, niſi aduerſariorum in Sanctos Dei ſingularis inſolentia, cogeret nos docere templa nō ſolùm Deo, ſed etiam Sanctis in honorem Dei à primis Chriſtianæ religionis exordiis dedicata fuiſſe. Quod priuſquam confirmemus, aduertat ſtudioſus lector, à Catholicis ſoli Deo verè ac ꝓpriè templa erigi, cum id ſpectet ad latriæ cultum diuinæ maieſtati peculiarem; Sanctorum tamen nomina illis ſubinde attribui, vel quia Deus in illis locis per miniſterium Sanctorum, prę̨clara quædam potentiæ ſuæ opera effecit; vel quia illi ſuo ſanguine ipſa loca quaſi Deo ſacrarunt; vel demùm quia pij pro affectu quo erga Sanctum feruntur, deſiderant diuinas eius virtutes in illo loco ad Dei gloriam & honorem celebrare. Nouerunt vtique eum *qui virtutem laudat, Deum ipſum laudare, à quo hominibus peruenit virtus, vt ad ipſum propter cognationem ſplendoris deducamur, ſeu potius re-*

Templa & altaria in honorẽ diuorum cōſtructa.

Grego. Naz. in orat. funebri in Athanaſium.

Hiero. ep. 53. ad Ripariũ.

ducantur. Præterea, *Honoramus* (inquit Hieronymus) *reliquias martyrum, vt eum cuius ſunt martyres adoremus. Honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum redundet ad dominum qui ait, qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit.*

Lib. 8. de ciu. Dei c. 27.

207. *Nos martyribus* (inquit Auguſt.) *templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum, nobis eſt Deus. Honoramus ſane memorias eorum tanquam ſanctorum hominum Dei; qui vſque ad mortem ſuorum corporum pro veritate certarunt, vt innoteſceret vera religio. Quis autem audiuit aliquando fidelium, ſtantem ſacerdotem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus martyris ad Dei honorem, cultumq́, conſtructum dicere in precibus; Offero tibi ſacrificium Petre vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos, & homines, & martyres fecit, & ſanctis ſuis Angelis cæleſti honore ſociauit; vt ea celebritate, & DEO vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum eodem inuocato in auxilium ex eorum memoriæ renouatione adhortemur? Quæcunque igitur adhibentur religioſorum obſequia in martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarum, non ſacra vel ſacrificia mortuorum.*

a ſup. the. 26 b Ambr. l. 1. ep. 5. & l. 10. ep. 85. c Aug. l. 1. de ciui. c. 4. & l. de eccle. dogm. c. 73. d Hier. contr. Vigil. e Chryſ. hom. 28. et in ſer. de aſc. Dom. hom. 66. ad pop. et in vit. Bab. & ſer. in Iuuencũ et max. et hom. 8. in epiſt. ad Eph. f Theo. l. 8. Græc. af. g l. 2. trip. c. 8. h l. 9. trip. c. 17. i lib. 9. trip. c. 46. k l. 10. trip. c. 13. l Niceph. l. 15. hi. c. 14.

208. Hac intentione olim templa & altaria in honorem Sanctorum frementibus tyrannis erigebantur; eadem modo à Catholicis, conſeruantur vetera à flammis & furore hæreticorum, nouaq́ue paſsim ædificantur, ornanturque, vt non modo ipſa ſaxa & parietes, ſed omnium veterum ſcripta teſtantur. Nam *a* Martialis eccleſiam & altare Stephano, oratorium vero D. Petro poſuit. *b* Ambroſius meminit Baſilicæ Apoſtolorum & Fauſtæ; *c* Auguſtinus Petri & Pauli, & aliorum martyrum. *d* Hieronymus item Apoſtolorum & martyrum. *e* Chryſoſtomus ſcribit Angelos viſitare templa beatorum martyrum, atque etiam reges & principes mundi; ſuoſque hortatur auditores, vt ſepulchra martyrum inuiſant atque ornent. *f* Theodoretus ait martyrum templa conſpicua cerni, magnitudine præſtantia; *g* Conſtantinus magnus duo templa Byzantij conſtruxit, alterum vocans Irenem, alterum Apoſtolorum; Romæ Petri & Pauli, & aliorum martyrum. *h* Theodoſius Imperator honorifice condidit corpus Pauli Conſtantinopolitani Epiſcopi, & martyris in templo, eius nomini nuncupato. *i* Donati *Epiſcopi ſanctiſsimi* (inquit Caſsiodorus) *ſepultura inſignis eſt, vbi oratorium ex eius nomine vocatur. k* Idem ſcribit in ſuburbano Chalcedonenſi in honore Petri & Pauli Apoſtolorum baſilicam eſſe conſtitutam. *l* Pulcheria Imperatrix varia conſtruxit templa in honorem Beatæ virginis, vt ſcribit Nicephorus.

Cõſecrãtur tẽpla Chriſtianorum atq; altaria.

209. Quod ad conſecrationem verò templorum atq; altarium attinet, manifeſtum eſt ſolenni ceremonia *a* templum à Salomone dedicatum fuiſſe; tum etiam à *b* Zorobabele, cæteriſq; Iudæis in ſoliũ patriũ

a 3. *Reg.* 8. & 2. *Par.* c. 7. b *Eſdræ* c. 6.

reſtitutis,

reſtitutis, ac poſtremò à Iuda *c* Machabæo, qui nõ tam templum, quam altare, quod Antiochus rex profanauerat, dedicauit. Ac de his Encæniis per hiemem factis, videtur intellexiſſe D. Ioannes, cùm ſcripſit, *Et facta ſunt encænia in Hieroſolymis, & hiems erat, & ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis*, ſua ſcilicet præſentia feſtiuitatem illam quamuis ab hominibus inſtitutam honorans.

c 1. Mach. 4. *Ioan. 10.*

210. Quam conſuetudinem conſecrandi & altaria, & templa, & reliqua ornamenta ſacris deputata vſibus, magna religione obſeruarunt maiores noſtri, ſanctiſsimi pariter atq; doctiſsimi viri. *a* Nam Clemens papa ſtatuit, vt precibus diuinis conſecrarentur eccleſiæ; deinde ne miſſæ celebrarentur niſi in locis Deo conſecratis. *b* Higinius vetuit ne baſilicæ abſq; miſſa conſecrarentur; & ſi altare motum eſſet, vt denuo eccleſia conſecretur. *c* Syluester iubet priuari eos ſacerdotes ſacerdotiis, qui in locis non ſacratis miſſas celebrare præſumant; *d* Fœlix papa quartus, *Miſſarum* (inquit) *celebrationem non alibi, quam in ſacratis Domino locis abſque magna neceſſitate fieri debere liquet omnibus, quibus ſunt nota veteris, & noui teſtamenti præcepta.* Et can. ſicut, mandat ne ſacrificia niſi ſuper altare, & locis Deo conſecratis offerantur, tum etiam iubet, vt ſingulis annis dedicationum ſolennitates celebrentur, & conſecretur etiam Eccleſia, de cuius conſecratione dubitatur. Idem aut ſimilia habet *e* Gelaſius, *f* Nicolaus, *g* Ioannes, *h* Hormiſda, *i* Agapitus, & *k* Gregorius, & quos antea poſuiſſe oportet *l* Damaſus, & Anacletus epiſt. 1. & Vigilius epiſt. ad Eutherium.

a ep. 2 ad Iac. de conſecr. d. 1. c. eccleſias. Epiſt. 3. can. Hic ergo. b *can. Omnes c. ſi motum.* c *can. Nullus* d *c. Cõſecrationem. Can. ſicut. Can. ſolénnitates.* e *c. De c. præcepta c. can. Baſilicas. c. certum eſt.* f *can. Eccleſia. gc. Eccleſias.* h *Can. Nullis.* i *Ca. Agapitus.* k *c. arianorũ.* l *Epiſt. 4. de Chorepiſcop.*

211. Pontificibus aſtipulantur Concilia, *m* Nicenum, quod ſtatuit Eccleſiam ſemel Deo conſecratam, niſi ex certis quibuſdam cauſis, iterum conſecrandam. *n* Meldenſe ſtatuens eccleſias vel altaria, de quorum conſecratione dubitatur, iterum conſecranda. *o* Tribnrienſe præterea decernit, non niſi in locis ſacris, miſſarum ſolennia celebranda. *p* Bracarenſe ſecundum can. 5. mandat ne conſecretur eccleſia, quæ quæſtu cupiditatis ædificatur. *q* Aurelianenſe ſtatuit, ne ſine deſignatione Epiſcopi loci noua dedicetur eccleſia. Toletanũ 3. cã. 18. meminit etiam conſecrationis templorum, & Concilium ſecundum Nicenum can. 7. docet morem fuiſſe eccleſiaſticum templa nõ conſecrare, abſq; reliquiis martyrum, illumq; renouat. Arauſicanum c. 9. agit etiam de dedicatione eccleſiarum. Africanum can. 50. præcipit altare non erigendum niſi imponantur Sanctorum reliquiæ. Carthaginenſe 5. can. 14. idem docet. Concilium Hipponenſe can. 6. vetat altaria, ſi non fuerint lapidea, chriſmatis vnctione conſecrari. Concilium Agathenſe can. 10. vult altaria chriſmate innungi ac benedici. Hiſpalenſe 2. can. 7. & Bracarenſe 1. can. 37.

m *de cõſecr. d. 1. c. Eccleſiis.* n *Can. Eccleſiæ.* o *Can. miſſarum.* p *Can. Si quis.* q *Ca. Nemo.*

Aug. ſer. 252. 256. & tom. 10. ſub finem in ſermonib⁹ adiectis in editione Pariſienſi ſer. 16. ſerm. 255. de tempore. Ambr. in exhort. ad virgines. & l. 1. ep. 5. Dion. Areop. c. 4. eccleſi. hier. Niſſenus de Baptiſmate. Martialis ep. ad Burdegal. Damaſus ep. 4. ad Chorepiſcopos. Leo ep. 88. Prudentius. Epipha. hær. ep. 73. Euſeb. l. 3. de vita Cõſtãti. li. 9. hiſt. c. 10.

212. His conſpirant Doctores eccleſiæ, vt Auguſtinus, qui docet templa dedicanda eſſe; & altaria lapidea benedictione vel vnctione cõſecrari debere, vt in his diuina fiant ſacrificia. Ambroſius agit etiam de dedicatione eccleſiæ, quam vidua Iuliana Domino comparauit, atque obtulit; & alibi. meminit dedicationis templi, Apoſtolorum nomine Deo conſecrati: Dion. Areopagita in eccleſiaſt, hier: *Illud* (inquit) *vt ſacerdotali dignum officio animaduerte, quòd diuina ſacratiſsimorum myſteriorum lex, ſacroſanctam altaris conſecrationem, ſanctis ſacratiſsimi vnguenti effuſionibus peragendam præſcribit.* Greg. Niſſenus. *Altare hoc ſanctum* (inquit) *cui adſiſtimus lapis eſt natura communis nihil differens ab alijs cruſtis lapideis, ex quibus parietes noſtri extruuntur, & pauimenta exornantur, ſed Dei cultui conſecratum atque dedicatum eſt ac benedictionem accepit, menſa ſancta, altare immaculatum eſt, quod non amplius ab omnibus, ſed à ſolis ſacerdotibus ijſque venerantibus contrectatur.*

213. Martialis. *Dum altaria dæmonum* (inquit) *in puluerem redigerentur, aram ignoti Dei ad conſecrationem reſeruari iuſsimus, quæ dedicata in nomine Dei Iſrael, & ipſius teſtis Stephani, nõ hominis cultum, ſed Dei in ea frequentatis.* Damaſus ſcribit *Chorepiſcopis non licere altare erigere, nec vngere aut ſacrare.* Idem ad Epiſcopos Germaniæ ſcribit Leo primus. Prudentius ſcribit altare Dei fuiſſe conſecratum oſsibus D. Eulaliæ virginis, ſic venerarier (inquit) oſſa libet, oſsibus altar & impoſitum. Epiphanius meminit feſti dedicationis eccleſiæ Antiochenæ. Euſebius etiam l. 3. de vita Conſtantini ſcribit illum in *monte Caluariæ ingens templum extruxiſſe, quod publica ſolennitate patrum ſynodo accerſita, dedicari iuſsit.* & *Interea* (inquit) *feſtiuitates à noſtris frequentiſsimè gerebantur cum omni lætitia & exultatione per vrbes & loca ſingula, eccleſiarum dedicationibus celebratis.* Conſtantinus etiam Imp. vt habetur l. 3. tripart. c. 5. *alios vndique congregari præceperat, vt templa ædificata dedicarentur.*

Ornatus tẽplorum.

214. Nunc reſtat, vt de ornatu templorum & ſepulchrorum, pauca quædam ex patrum ſcriptis decerpamus; quò omnes intelligant, quam longe abſit ſpiritus mendax, qui iam dominatur in ore prophetarum, ab illo quem Apoſtoli & Martyres glorioſi, cæterique patres ſanctiſsimi à Chriſto hauſerunt. Illi enim ferre non poſſunt, vt eccleſiæ Chriſti auro & gemmis adornẽtur, quod hęc forte vſibus ſuis accõmodatiora exiſtimentur, hi cõtra nihil tam charum, nihil tam ſumptuoſum in bonis habebant, quod non libentibus animis Chriſti eccleſiis conſecrarent.

Exod. 25. 37. & c. 40. Leuit. 8. Num. 7. 3. Reg. 7. Eſdræ 1.

215. Nihil dicam in hoc loco de admirabili ornatu, vaſis, & veſtibus ſacris tabernaculi, & templi veteris populi, quę Paulus commemorat in ſua ad Hebręos epiſtola c. 9. (quamuis ſi ſanguis pecudum, & vmbrę veritatis, tanto ornatu ab ipſo Deo iudicatæ ſint dignę, certè maiore multo honore afficiendum eſſe ſanguinem Chriſti, & veritatem ipſam, nemo ſanæ mentis inficias iuerit) de nouæ tãtum legis ſtatu verba faciam.

216. Chri-

216. Chriſtus nouæ legis auctor, cum omnium myſteriorum ſuorum ſacratiſsimum inſtitueret, ac diſcipulis diſpenſaret (licet totius vitæ decurſu ſumma fuerit vſus paupertate) tunc tamē tēporis, locū elegit Marc. 14.
non vilem aut abiectum, ſed magnum & ornatum; quò indicaret non Luc. 22.
diſplicere, imo maxime placere ſibi, ſi loca illa, quibus diuina myſteria peraguntur, aptè & ornatè accommodantur. Hinc etiam cum laude Ioſephi celebratur inſignis Chriſti Domini ſepultura, piarumque mulierum in Chriſti corpore perungendo charitas atque deuotio.

217. Retulimus ſuperius Martialem diſcipulum Chriſti lampadas, Theſi 201.
& coronas aureas plures poſuiſſe ante altare D. Stephani, ac in oratorio glorioſi Apoſtoli Petri; Huic infinitos penè addere poſſemus, ſi liberet nominibus enumerandis inhærere. Nam Clemens Romanus mentionem fecit *pallæ altaris*, cathedræ, candelabrorum & veli. Prudentius ſic inducit præfectum alloquentem S. Laurentium, *Hunc eſſe veſtris orgiis, moremq́; & artem proditum eſt: hanc diſciplinam fœderis, libent vt auro antiſtites: argenteis ſcyphis ferunt, fumare ſacrum ſanguinem, auroq́; nocturnis ſacris adſtare fixos cereos.* Ambroſius etiam fatetur tempore Laurentij fuiſſe vaſa precioſa in eccleſijs Chriſtianorum. Baſilius magnus reſeruauit ſacram eucharistiam in columba aurea ſuper altare pendente. Leo magnus docet ſuo tempore Chriſtianos ſolitos fuiſſe propēſiore cura, & ampliore cultu orationis domum diebus feſtis adornare. Auguſtinus etiam non ſemel meminit ornatus eccleſiarum & vaſorum ſacrorum. Theodoretus *Martyrum* (inquit) *templa conſpicua cernuntur, magnitudineq́; præſtantia, omni preterea ornatus genere variata; ſplendoremq́; quodammodo pulchritudinis ſuæ latè fundentia.*

Epiſt. 2. ad fratrem Domini. In periſtaphanon hymno ſecūdo.
l. 2. off. c. 28.
Amphilocius Iconien. Epiſcop. in vita Baſilij magni
ſer. 3. de quadrageſima.
l. 8. de curā. Græc. affect.

218. Victor. l. 1. de perſecut. Vand. grauiter conqueritur de barbarorum immanitate. *Proculus* (inquit) *rapaci manu cuncta depopulabatur, atq́; de pallijs altaris, proh nefas, camiſias ſibi, & ſemoralia faciebat.* Et iterùm, *Statim* (inquit) *ſatagit vir Deo plenus & carus vniuerſa vaſa miniſterij aurea vel argentea diſtrahere, &c.* Optatus etiam l. 6. conqueritur *fractos fuiſſe calices ſanguinis dominici portatores*, & reliqua ornamenta ſacra in profanos conuerſa vſus. Hiſtor. tripartita loquens de templorum dedicatione, quæ fuerant à Conſtantino Imper. conſtructa, inquit, *porro fuerat exornatum etiam ſacrū altare pallijs regalibus atque vaſis auro & lapidibus precioſis decoratum.*

Chriſo. hom. 66. ad pop.
Lib. 3. c. 5.

219. Et ne longior ſim in re clariſsima (fatentur enim Caluiniſtæ precioſiſsima fuiſſe Eccleſiarum noſtrarum ornamenta, quæ illi longe maiori barbarie, quam vel Gothi, Vandali, Arriani, Donatiſtæ, aut ipſe Iulianus ſummus ſatanæ miniſter in monumentis pietatis euertendis, rapuerunt, incenderunt, aut in turpiſsimos vſus contulerunt) duo tantum proferam exempla, quibus omnes intelligant eos, qui ſacra vaſa

impie profanarunt, tantum ſcelus haud impune tuliſſe.

Tripart. hiſt. l. 6. c. 10. Eandē hiſtoriam habet D. Chryſoſt. orat. in Babylam.

220. Iulianus, Apoſtatæ illius auunculus, *quùm vniuerſa Deo dicata vaſa & pallia collegiſſet, proyciens hæc in terram, contumelijs & iniurijs, vt voluit afficiens Chriſtum, ſuper ea etiam ſedit. Moxq́ʒ verenda eius, & loca femoribus circumpoſita feruntur eſſe percuſſa, & ad tantam peruenit putredinem, vt vermes procrearentur, medicis laborantibus, nec valentibus vincere affectionem. Conficiebantur enim omnimoda pretioſaq́ʒ medicamina, ex pinguibus volatilibus, vt eorum pinguedine corrupta, & patria membra linirentur. Hoc facto vermes ad ſuperficiem pronocabant, quia in profundo ebullientes per viuas ſerpebant carnes. Et donec moreretur non fuit ab hac affectione ſecurus. Hoc itaque claruit diuina indignatione factum, cum etiam cuſtodes Imperialium theſaurorum, & alij plurimi aduerſus eccleſias inſurgentes, inopinata & miſeranda morte defuncti ſint, graui ſuperna indignatione damnati.*

Lib. 6. trip. hiſt. c. 32.

221. Et iterùm, *Interea* (inquit dum Iulianus Apoſtata Parthico bello attenderet) *iubentur vaſa ſacra fiſci ærario deputari. Sublatisq́ʒ ianuis eccleſiæ maioris, quam Conſtantinus ædificauerat, fit cunctis acceſsibile ſanctuarium. Ingrediente ſiquidem Iuliano præfecto orientis eccleſiam*, Felix *præpoſitus regalium theſaurorum pariter introiuit, & ſimul* Elpidius *comes rerum priuatarum. Aiunt enim &* Felicem *&* Elpidium *prius Chriſtianos, tunc à pietate receſsiſſe, impio principi parere cupientes. Iulianus itaque præfectus impudenter contra ſacrum altare minxit. Quem cum Euzoius prohibere tentaret, eum ille percuſsit in capite. Fertur autem dixiſſe, Chriſtianorum inuentiones cæleſtium curam non vacare. Porrò Fœlix videns vaſorum ornamenta, quæ Conſtantinus & Conſtantius frequenter obtulerant: Ecce in quibus inquit vaſis, Mariæ filio miniſtratur? ſed pro his impietatibus veſanisq́ʒ præſumptionibus nō poſt multum, pœnas exacti ſunt. Nam repente Iulianus ſæuo morbo correptus, viſceribus putrefactis interijt. Et excrementa non per meatus egeſtiuos emittebat, ſed ſceleſtum os, quod blaſphemijs miniſtrauerat, organum, huius excretionis eſt factum. Aiunt autem illius vxorem fide fuiſſe clariſsimam, eamq́ʒ dixiſſe: Decet te marite laudare ſaluatorem* CHRISTVM: *quoniam tibi per hanc correptionem, magnitudinem propriæ virtutis oſtendit. Non enim agnoueras contra quem pugnare voluiſti, niſi conſueta longanimitate hæc tibi flagella diuinitus intuliſſet. His ergo verbis & paſsionibus imminentibus, cauſam languoris cognoſcens, rogabat imperatorem, vt eccleſiæ, quibus fuerat ablata, redderetur. Sed nec illum flexit, & ipſe terminum vitæ ſuſcepit. Porrò Fœlix, & ipſe repente flagellum virtute diuina ſuſcipiens, ſanguine toto die ſimul & nocte ex ore fuſo, & vanis corporis vndique vacuatis, omniq́ʒ virtute ſimul expenſa, & ipſe celeriter eſt extinctus, æternæq́ʒ morti contraditus.*

CAPVT

CAPVT VIII.

In quo demonſtratur Catholicos rectè ſacrificiũ Deo offerre, ac vota nuncupare in honorem Sanctorum, eorumq; feſtos dies celebrare.

222.

Vòd ad miſſas attinet ſiue ſacrificia, q̃ in honorẽ Sanctorũ, à Catholicis offerũtur, nõ Sãctis, ſed Deo, Sanctorũ Domino atq; effectori, grauiter querũtur aduerſarii: tùm quòd Chriſtus hoc diuinùm ſacramẽtum, in ſuæ mortis memoriam, non Sanctorum venerationem inſtituerit; tùm quia ſcripturæ ſacræ clamant, Chriſti mediatoris veri, & potentis nos ſaluare merita, non Sanctorum patrocinia, Deo patri pro nobis offerenda eſſe; tùm poſtremò, quia quemadmodum veteres doctores ſcribunt, celebrabantur quidem olim memoriæ Sanctorum, non vt eorum patrocinia, preces, & interceſſio imploraretur, ſed vt ſequentium animi ad prædeceſſorum viam, inſignibus exemplis ſuſcitarentur; vel vt laudarentur martyres, quod pro veritate certarint, & fidei veritatem ſeruarint. *Cyrill. l. 6. cont. Iulianum. Aug. l. 8. de ciuit. c. 27. & l. 20. cont. fauſtũ c. 21.*

Sacrificiũ licet offerre Deo in honorem Sanctorũ.

Heb. 7. & 9

Euſeb. l. 4. c. 15. Dionyſ. c. 7. eccleſ. hier. p. 3.

223. Verùm nihil hic noui à Catholicis in cultu Sãctorum excogitatum eſt, quòd ab antiquiſsimis patribus non ſit traditum ad poſteritatem: conſtat enim & luce clarius eſt, ab ipſis Apoſtolis acceptam eſſe diſciplinam nominandi Sanctos in officiis tremendorum redemptionis noſtræ myſteriorum, eius enim meminit [a] Dionyſius Areopagitá; meminit [b] Cyrillus Ieroſol. *Poſtea* (inquit) *facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum, & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras*; meminit [c] Cyprianus, [d] Epiphanius, [e] Origenes, & vt cæteros taceam, meminit Auguſtinus. *Ideo* (inquiens) *ad ipſam menſam non ſic commemoramus Sanctos, quemadmodum alios qui in pace requieſcunt, vt etiam pro eis oremus, ſed vt orent ipſi pro nobis. Memoria ſit Sanctorum ad gratiarum actionem Deo pro beneficiis illis collatis, & vt meritis eorum conſociemur, & orationibus eorum adiuuemur.* Hoc idem legimus factitatum in liturgiis Baſilij, Chryſoſtomi, Ambroſij & AEthiopum.

a *Cap. 3. eccl. hier.* b *catecheſi. 5.* c *l. 4. ep. 5. & l. 3. ep. 6.* d *hær. 75.* e. *Hom. 2. in diuerſis.*

Aug. tract. 84. in Ioan.

Clem. Rom. l. 8. conſtit. c. 18. 19. et 47

224. Memoriam aũt Sanctorũ, celebrat eccleſia Chriſti in tremẽdo ſacrificio, primùm quidẽ, propter illam, quæ eſt inter mẽbra eccleſiæ cõmunionẽ, ſiue ęterna fruãtur beatitudine, ſiue in mortali vita degentia,

ſuſpi-

ſuſpirent ad illam Sanctorum requiem; tum etiam, vt hac publica teſtetur actione, & beatis gloriam, & militantibus adhuc in mundo gratiam, Chriſti morte, ac ſacrificio in ara crucis peracto partam; deinde, vt ad Sanctorum virtutes imitandas excitemur; id quod videtur in veteri lege fuiſſe adumbratum, quando ſummus Pontifex in ſancta ſanctorum ingrediens, nomina duodecim patriarcharum ſiue tribuum in ſuperhumerali portabat, vt nimirum populus memor illorum patrum virtutum atque certaminum, ad ſanctum ſanctorum ac cæleſtem patriam animoſius properaret, & Deus ipſe parentum intuens grata obſequia, filiis gratiam benignius largiretur.

Auguſt. l. 8. de ciui. c. 27

Exod. 28.

225. Rursùm negare non poſſunt aduerſarij, miſſæ ſacrificium debere ſuo modo pro ſanctis offerri, nimirum in gratiarum actionem pro ipſorum victoria & corona triumphali: id enim patres paſsim teſtantur, & nos ante docuimus ex Auguſtino, & aliis.

Cyprianus locis citatis. Hiſtor. trip. l. 3. c. 2.

226. Præterea cõſueuit ſponſa Chriſti, ſacrificium Deo in honorem Sanctorum ſuorum offerre: Magnus ſiquidem honor eſt Sanctorum, quod videant Eccleſiam, ſponſam Domini ſui, hoc tremendum ſacrificium offerre in gratiarum actionem pro coronis ſibi collatis, totamque eccleſiam communi quadam lętitia, ex ciuium perfundi certaminibus; alios deinde ad palmas ſuis excitari exemplis, merita poſtremò laborum difficilium fratrum vſibus accommodari, & Deum chariſmatum largitorem in virtutibus ſeruorum honorari. *Martyribus* (inquit Chryſoſtomus) *magnus honor nominari præſente domino, dũ mors illa perficitur, et horrendũ ſacrificium. Maximus honor omnibus in memoria haberi, quãdo annũciatur horrẽdum ſacramentum, quod pro mundo dedit ſeipſum Deus; etiam tempeſtiue memoria fit eorum qui peccarunt. Sicut enim quando regum trophæa ſtatuuntur, vna celebrantur quidem, & quicunque victoriæ ſocij fuerunt, & dimittuntur vincti, vt cõmunis ſit ouatio omnium, ita ſacrificij celebratio eſt trophæorum, & celebrandæ victoriæ opportunum tempus.* Auguſtinus etiam, *Populus* (inquit) *Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur.*

Homil. 21. in Act. & hom. 25. in Matth. & hom. 2. in ep. 2. ad Cor. Liturgiæ Baſilij, Chryſoſtomi & Æthiopum. Hieron. cont. Vigil. Cyrill. loco citato. Seuerus l. 1. de mirac. S. Martini c. 12. l. 20. contra Fauſtũ. c. 21. Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 3.

227. Quamuis autem in honorem, & memoriam Sanctorum, miſſas, vt ſuprà dixi, eccleſia conſueuerit ſemper celebrare, nunquam tamẽ ipſis ſanctis ſacrificium offerre docuit, ſed Deo ſoli, qui illos coronauit; vnde nec ſacerdos dicere ſolet, offero tibi ſacrificium Petre vel Paule, ſed Deo pro illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipſi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memorias facimus in terris.

Aug. l. 22. de ciuit. Dei ca. 10. & l. 8. c. 27. & l. 20. cont. fauſtũ. c. 21.

228. Proinde ad primam aduerſariorum obiectionem, facili negocio reſpondemus, illa duo inter ſe non pugnare, quoniam virtute paſſio

ſionis Dominicę, ſancti victoriā & coronas ſunt conſecuti: ideoq́; qui recolit memoriam mortis Chriſti, adeo non excludit gratiarū actionē pro victoria Sanctorum, vt eam potius includat. Deinde hoc ſacrificium ita in memoriam reducit, ac reuocat illud cruentum peractum in cruce, vt *Aug. l. 17. de ciuit. c. 20.* eoſdem cum illo ſuo quodam modo habeat affectus, omnibuſque tam *et l. 1. cont. aduerſ. legis* legis naturæ, quàm Moſaici ſacrificiis ſuccedat; vnde vſus eius proprius *& prophet.* eſt ac maximus, externum cultū Deo in ſupremi eius dominatus agni- *c. 20. Leo* tionem, & quaſi tributum quoddam quotidianū, quod latria dicitur, *ſer. 7. & S.* illi ſoli exhibere; ac propterea ad hoc ſacrificium peragendum, ſtudioſè *de paßione.* conuenerunt Chriſtiani ſemper, cum in eo ſcirent maximum ac ſum- *Iuſtinus in fine Apolog. 2.* mum cultum creatori omnium deferri.

229. Nec ſolum hunc habet vſum ſacrificium noſtrum, ſed quo- *Cyrill. l. 11. in* niam omnibus aliis ſuccedit, atque idem eſt cum illo, quod in cruce eſt *Ioan. c. 58.* peractum, ſiue ſacerdotem ſpectes, ſiue hoſtiam Deo ſacratam, ideo ad *Leo papa ep.* omnia illa valet, ad quæ non modo veteris legis ſacrificia poterant accó- *79.* modari, ſed etiam abunde ſuo modo ſufficit omnibus officiis humanis in Deum, omnibuſq; neceſsitatibus noſtris tam corporis quàm animæ. Hinc à patribus in peccatorum remiſsionem obtinendam offerri ſolebat, item pro pie in domino defunctis, in gratiarum actionem pro victoria Sanctorum, pro peccatoribus, vt ad virtutis viam reuertantur; pro bonis temporalibus impetrandis, ac malis etiam auertendis, ac propulſandis.

230. Ad alteram de Sanctorum interceſsione, alibi diximus, nos *Theſi 133. 134.* non interponere Sanctorum merita veluti ſubſidiaria auxilia coniungenda meritis Chriſti, quaſi hæc ex ſe non ſufficerent, ſed vt illorum, vtpote amicorum Dei, precibus illud obtineamus, quod noſtris orationibus non præſumimus, ſicque reddamur aptiores ad percipiendos fructus vnicæ interpellationis Chriſti. Non igitur conſtituimus inter noſtram indignitatem & iram Dei, meritas & interceſsiones Sāctorum, quaſi medium quoddam ad placandum Deum, ſed potius noſtris precibus adiungimus, vt ex vtriſq; coniunctis, idonei ſimus, quibus Deus propter merita Chriſti, gratiam nobis largiatur, qui vnus ac ſolus mediator eſt, & precium ſeu propiciatio pro peccatis noſtris.

231. Porrò quæ fuit patrum ſententia de Sanctorum cultu, qui in *the. 223. etc.* oblatione diuinorum myſteriorum illis exhibetur, iam conſtat ex ſupradictis, quæ ſi hoc in loco repetantur abunde ſufficiant ad ignorationem malitiamq; aduerſariorum conuellendam.

232. Solent interdum pij Chriſtiani vouere peregrinationem, vel *De votis nūcupatis Sanctis.* aliquid ſimile Deo, in honorem alicuius diui, vel ipſi ſancto, quem ſingulari quodam affectu colunt, cuiuſque precibus ſe quippiam à Deo

credunt impetraturos. Quæ vota, quoniam ſuo etiam modo, ad diuorum ſpectant venerationem, contra Nouatorum petulantes linguas explicanda ſunt, & defendenda.

233. Fuiſſe autem hanc vouendi conſuetudinem in primitiua eccleſia, patrum docent monumenta. Siquidem Ambroſius ſic de voto Iulianæ ſcribit, *Et tu quidem fili* (inquit ſancta vidua Iuliana) *aliquanto propior patri, agnoſce quæ matri debes, quod domini vocabulum reddas. Aetas te excuſat, ſed hæreditas vocat. Iocundentur fili, pater & mater in te. Noli matrem contemnere, quaſi imprudentem. Regis admonitio inquit, quem erudiuit mater ſua. Quid ſeruabis fili? Dictiones Dei? Primogenite dico tibi fili. Quid filius mei ventris? quid natus mearum orationum? Ne dederis mulieri tuam honeſtatem. Audis quid ſapiens dicat, quid ſcriptura aſſerat. Conſidera, quis te, vt naſcereris, iuuerit, filius es votorum magis quàm dolorum meorum. Conſidera cui te mulieri pater tali nomine deſignauerit, qui vocauit Laurentium. Ibi vota depoſuimus, inde nomen aſſumpſimus. Vota effectus ſecutus eſt, redde martyr quod debes, martyri. Ille te nobis impetrauit, tu reſtitue quod de te huiuſmodi nominis appellatione promiſimus.* Et poſtea explicat clarius quid reddere debeat filius, quidq; martyri fuerat à parente promiſſum. *Tu* (inquit) *fili, quem mihi verus Helcana, id eſt, Dei dedit poſſeſsio, poſtulatus meus, petitus meus, tu, inquam, impetratus meus, & votiuus meus, qui quomodo in vterum meum veneris, neſcio (iam enim deſperaueram ſobolem ſexus virilis) quem mihi vota mea, non aliqua ſolennis cœtus ſecreta formarunt: tu, inquam, fili agnoſce à quo donatus ſis mihi. Ille tua ora plaſmauit, ille tua membra diſtinxit, ille mea orata ſuſcepit, cuius templo, cuius obſequio te, antequam naſcereris ſacraui. Non parentibus, non tibi, ſed Deo natus es, cuius antequam de vulua matris exires eſſe cœpiſti.*

In exhort. ad virgines.

234. Theodoretus grauiſsimus auctor cum Ambroſio facit; *Martyrum* (inquit) *templa conſpicua cernuntur, magnitudineq; præſtantia, omni præterea ornatus genere variata; ſplendoremq; quodammodo pulchritudinis ſuæ late fundentia. Neque vero ad hæc per annum ſemel, aut bis, aut quinquies aduentamus, ſed in eis ſæpenumero dies feſtos peragimus, ſæpe diebus ſingulis eorum martyrũ Domino laudes, hymnoſq; cantamus. Quiq; homines proſpera ſunt valetudine, cõſeruari eã ſibi, à martyribus petunt; qui vero ægritudinẽ aliquã patiũtur, ſanitatẽ expoſcunt. Inſuper & ſteriles viri & mulieres, dari ſibi filios petunt: qui vero parentes ſunt, integra ſibi & propria cuſtodiri, quæ conſequuti ſunt dona. Item, qui peregre aliquò proficiſcuntur, petunt martyres ſibi comites eſſe in via, vel potiùs itineris duces. Qui verò iam ſoſpites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes. Non qui ſe ad Deos accedere arbitrentur, ſed qui orent Dei martyres, tanquã diuinos homines, interceſſoresq; ſibi eos apud Deum aduocent, ac precentur. Pie verò fideliterq; precatos, ea maxime conſequi quæ deſiderant, teſtantur illa, quæ votorum rei dona perſoluũt, manifeſta nimirum adeptæ ſanitatis indicia. Nã alij quidem oculorũ, alij verò pedũ, alij porrò manuu ſimulacra ſuſpendunt, ex argento, auroue cõfecta. Gratiſsime nãq; accepit eorum*

l. 8. de Græc. affectionum curatione.

Vſus ſuſpendendi ad memorias martyrũ imagũculas accepta beneficia ſignificantes.

dominus,

dominus,qualiacunq́; ſunt dona;nec exigua,nec vilia aedignatur,qu ppe qui ea pro ſe-rentis facultate metitur. Hæc itaque omnium ſpectaculo exporrecta,teſtantur morbo-rum depulſionem,cuius ipſa certiſsima ſigna ſunt,à ſanitatem conſequutis allata. Hæc inquam ſepultorum ibi martyrum, quæ ſit virtus, oſtendunt. Martyrum autem virtus; quem ipſi coluerunt Deum, verum eſſe Deum declarat. Hactenus Theodoretus. Prudentius ſic ait,

Illitas cruore Sancto nunc arenas incola — *Prudentius in Periſtephanon hymno primo in Hemiterium &c.*
Confrequentant obſecrantes, voce, votis munere.
Exteri, necnon & orbis hûc colonus aduenit:
Fama nam terras in omneis præcucurrit proditrix,
Heic patrònos eſſe mùndi, quos precantes ambiant.

August. *Quod etiam hinc* (inquit) *nobis calumniatur Fauſtus, quòd martyrum memorias honoramus,in hoc dicens nos idola conuertiſſe,non tam me mouet, vt huic calūniæ reſpondeam, quam vt ipſum Fauſtum oſtendam ſtudio calumniandi,etiam ab ipſis Manichæi vanitatibus exorbitare voluiſſe;cùm enim dixiſſet,nos vertiſſe idola in martyres,quos votis (inquit) ſimilibus colitis, defunctorum vmbras vino placatis & dapibus, &c.* Vnde apparet Chriſtianos vota obtuliſſe martyribus ſuis, vel Deo in honorem martyrum. — *Lib.20.con. fauſt.c.21.*

236. Euſebius Cæſar. *Hæc* (inquit) *nos quotidie factitamus* (id eſt Sanctos honoramus) *qui veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaq́; ipſis facimus, tanquam viris ſanctis,quorum interceſsione ad Deum non parum iuuari profitemur.* His adiunge ſi placet Paulinū. — *Libr. 13. de præpar. Euang.c.7.*

Tempus adeſt, plenis grates tibi fundere votis. — *Natal.2.*
O pater, ô Domine, indignis licet optime ſeruis
Tandem exoratum eſt, inter tua lumina nobis
Natalem celebrare tuum, tua tempore longo
Luſtra cucurrerunt, ex quo ſolennibus iſtis
Coram vota tibi, coram mea corda dicaui
Ex illo quo me terraq́; mariq́; labores
Diſtulerunt à ſede tua, procul orbe remoto.

Et alibi.

Annua vota mihi remeant, ſimul annua lingua. — *Natal. 4.*
Debita, natalis tuus ô clariſsime Chriſto.
Felix natali proprio mihi charior, in quo &c.

Et iterùm.

Tandem igitur reuoluta dies mihi naſcere toto — *Natal.5.*
Exoptata dies anno, quæ dulcia feſta
Et mea vota nouas, quæ me ſolennia poſcis
Munera natalem referens, quo millia gaudent
Innumeri populi, quo me ſpecialia tangunt,

Gauiſa, quo famula rata debeo munera lingua
Felici libata meo, cui mente dicata
In Domino Chriſto ſum deditus, hunc & amoris
Obſequio celebrare per annua carmina ſanctum fas mihi.

237. At reclamant hoc in loco aduerſarij, votum ſoli Deo nuncupandum eſſe, cum ſit actus religionis Deo ſoli debitus; atque ita impie faciunt, quicunq; D. Petro, Paulo, vel alicui alteri Sanctorum vouent, nam eodem plane modo, & Deo, & Diuis eius promittūt. Cui obiectioni facile occurrunt, qui dicunt vota fieri non Sanctis, vt homines ſunt ſimpliciter & abſolutè, ſed vt in eis eſt, & honoratur Deus; quapropter qui abſolute vouet aliquid Sancto, intelligitur Deo vouere in illo Sancto, ſicut econtrà qui ſanctum quempiam maledictis inceſsit, non tam Sanctum quàm Deum ipſum in ſancto probris inſectari cenſetur, maledictum enim ſiue blaſphemia in ſolius Dei nomen ac Sanctiſsimum numen iacitur.

Caietan. in com. 22. q. 88. articul. 5. ad. 3.

238. Sunt & alij, qui putant votum non eſſe actum religionis Dei proprium, ſed poſſe etiam Sanctis exhiberi, quemadmodū oratio: quod nomen vt commune eſt, ita res nomine ſignificata tam Deo quàm Sanctis poteſt viciſsitudine tribui. Nec ſane abhorret à veritate hęc interpretatio, nemo enim vnquam dixerit ſacrificium Petro vel Paulo poſſe offerri, quia omnes mortales hūc ſoli Deo cultum autumarunt exhibendū; contra vero Sanctos orandos, omnes fatentur maiores noſtri, atque etiam vota iiſdem poſſe nuncupari, noſque ſupra oſtendimus abunde; quod argumento eſſe debet, hunc cultum generaliorem eſſe, nec cū ſolo Deo copulatum in alios quoque transferri non poſſe.

De feſtis Sāctorum.

239. Tertium, quod hoc capite propoſuimus, eſt vt doceamus dies feſtos ſanctorum non pro faſtis feſtiſue idolorum, ab huius ſæculi doctoribus inſtitutos; nec à Montaniſtarum errore ac conſuetudine in eccleſiam Chriſti irrepſiſſe; multoque aliter de illis, quam de execrabili vitulorum celebritate, quam impius Ieroboam rex Iſraël, ſub ementito glorioſo Dei nomine, inuexit iudicandum eſſe: ac poſtremò non reijciendos eſſe, nec penitus eliminandos. Hæc enim omnia aduerſarij noſtri, & linguis, & ſcriptis non verentur effutire, *dicentes in corde ſuo, quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra*, poſtquam incenderūt igni ſanctuarium eius, & in terra polluerunt tabernaculum nominis ipſius.

Magdeburg. Cent. 5. c. 15. p. 1508. Cent. 3. c. 10. p. 240. Frāciſc. Lāb. in c. 1. Luc. Caluiniſtæ et Puritani ſiue Bezaitæ in ſuis calendariis & aliis ſcriptis. Heſhuſius in l. de error. Pōtif. Pſal. 73.

240. Quemadmodum Deus ex omnibus gentibus populum vnū ſibi delegit, à quo nomen ſuum cultu ſingulari voluit celebrari, illique locum certum deſignauit, ſacrificia ac cæremonias ſacras præſcripſit, ac miniſtros certos, qui diuino cultui vacarent, inſtituit; ita etiam dies quoſdam, fixos & certos dixit; quibus maiori quadam cæremoniarum ſancti-

ſanctitate,ſacrificiorum oblatione, populiq; concurſu, ſummus hic la-
triæ cultus,ſummæ maieſtati ſuæ debitus perageretur.

241. Feſtiuitates porrò Iudæorum diuidebantur in dies profeſtos
& feſtos.Profeſti vero aut primi menſium fuerunt, qui Neomeniȩ dicti
ſunt, aut inter ſeptimanas interiecti. Neomeniæ, quas latinè kalendas *Num. 28.*
vocarunt,ſunt initia menſium, quæ Deus ſacra eſſe voluit,propriumq; *2.Par.c.2.* *Eſdræ c.2.*
habere holocauſtum; quamuis ceſſatum in illis non fuerit ab operibus. *Eſa.c.1.*
Dies verò cæteri inter ſeptimanas interiecti, ex Dei præſcripto ſuam et- *Exod. c. 29.*
iam habuerunt religionem,& ſacrificia continua,licet operibus pro ne- *2. Par. c. 2.*
ceſsitate populus vacaret. *Num. 28.*

242. Feſti præterea dies,alij à Deo,alij ab hominibus inſtituti ſunt; *Leuit. c. 23.* a *Exod. 20.*
à Deo *a* Sabbathum; *b* Paſcha; *c* Pentecoſte; *d* Tubæ; *e* Expiationes; *f* Ta- *& 35.Leuit.*
bernacula cum Collectis; Annus ſeptimus; & annus quinquageſimus: *c.23.* b *Exo.*
Ab hominibus Encænia, feſtum Iephte, Iudith, & Eſther. *c.12.* c *Leui.*

243. Sabbatum verò inſtitutum fuit in memoriam beneficij crea- *c.23.Nu.c.18* d *Leuit. 23.*
tionis; Paſcha cum azymis in recordationem liberationis, ex ſeruitute *Pſalm.80.*
AEgyptica; Pentecoſte ad recolendum beneficium legis datæ; feſtum *e Leuit. c.23*
tubarum in memoriam liberationis Iſaac; expiationis feſtiuitas in re- *& c.16.*
cordationem beneficij,quo Deus ignouit populo,poſtquàm vitulũ ad- *f Leuit. c.23*
oraſſet.Tabernaculorũ celebritas monumentum erat diuinȩ protectio- *Num. 29.*
nis & deductionis per deſertum, vbi in tabernaculis habitabant Iſraëli- *Deut.16.*
tæ. Septimus annus, qui & Sabbatarius, dictus fuit,quia in eo remiſsio *Exod. c. 23.* *Leuit.25.*
terræ à cultura concedebatur. Quinquageſimus item annus Sabbata- *Deut.15.*
riuș fuit, eo quod remiſsio dabatur ſeruis à miniſterio ſeruili, atq; ager *Leuit. 25.*
alienatus redibat ad veterem poſſeſſorem. *Num. 36.*

244. Inter feſtiuitates porro, quas homines inſtituerunt, nume-
rantur Encænia, id eſt, ſolennitas quædam anniuerſaria, in dedicatione
templi adhibita. Quatuor autem leguntur dedicationes templi Hiero- *l. 3. Reg.c.8*
ſolymitani; prima Salomonis, menſe ſeptimo; ſecunda templi ſecundi *& 2.Par.7.*
Zorobabelis, menſe Ader, id eſt Februario; tertia dedicatio fuit altaris, *Eſdræ c.6.*
tempore Iudæ Machabæi,menſe Nouembri; quarta fuit dedicatio tem- *lib. 1. Mach.*
pli ab Herode conſtructi, cuius meminit Ioſephus in hiſtoria ſua. Præ- *Ioſephus l.15* *antiq.*
terea in exitu anni,celebratus eſt planctus filiȩ Iephte,quando pater vir- *c.11. Iudith.*
ginem immolauerat. Habitus etiam honore eſt dies, quo ignis cæleſtis, *l.2.Machab.*
quem extinctum poſt Babylonicum exilium repererunt Iudæi; ſuſcita- *c.1.*
tus eſt; & à Ioſepho vocatur feſtum luminum. Dies item,quo Iudith re- *Iudith c.16.*
tulit victoriam de Holopherne, inter feſtos relatus eſt; & celebrabatur
xxv.menſis Caſleu; victoria rurſus Eſther aduerſus Aman,feſtum diem *Eſther c. 9.*
habuit; poſtremò diem etiam illum honorarunt, quo debellatus fuit *Ioſeph. l.12.*
Nicanor Dux Demetrij regis Syriæ. *antiq.*

245. Nec ſolú illos dies feſtos, qui diuinitus inſtituti fuerunt, obſeruauit Chriſtus, ſuaq; præſentia nõ ſemel cohoneſtauit, ſed illos etiá, qui ab hominib⁹ initiũ acceperũt, vt patet Ioã.10. *facta ſunt* (inqt Euangeliſta) *encænia in Ieroſolymis, & hyems erat, & ambulabat Ieſus in tẽplo, in porticu Salomonis*, loquitur ibi de dedicatione templi, facta ſub Iuda Machabæo.

246. Atqui, vt legi ſucceſsit Euangeliũ, ita feſtiuitatib⁹ illis legalib⁹, ſuffectę ſunt alię, partim ab Apoſtolis ſpiritu Dei plenis, partim ab eccleſia ſancta; cui hac in parte, nõ minorẽ (vt puto) cõcedẽt Euãgelici, quàm olim ſynagogæ cõceſſum intelligũt. De Dominica die, res adeo clara eſt, vt aduerſarij ni impudentes eſſe velint, negare nõ poſsint. De aliis quibuſdã ſic ſcribit Aug.

Epiſt. 118. ad Ianuarium.

Illa (inquit) *quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs concilijs, quorum eſt ſaluberrima in eccleſia auctoritas, cõmendata atq; ſtatuta retineri, ſicuti quod Domini paſsio, & reſurrectio, & aſcenſio in cælum, & aduentus de cælo Spiritus ſancti, anniuerſaria ſolennitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab vniuerſa quacunque ſe diffundit eccleſia.*

247. Iam verò, hac eadem D. Auguſtini regula, docemus feſtiuitates Sanctorum ab Ipſis Apoſtolis, vel certè à plenariis cõciliis inſtitutas eſſe; quoniam ab omnibus, per vniuerſum orbẽ diffuſis eccleſijs, obſeruãtur modò, & ante tempora ſectæ Caluinianæ & Lutheranæ fuerunt obſeruatæ, idque ab ipſis Apoſtolorum temporibus, vt modo indicabimus.

Lib. 8. conſt. c. 39.

248. *In diebus Apoſtolorũ* (ait Clemens Romanus) *quieſcant ſerui*, (ab operib⁹ ſeruilib⁹) *magiſtri enim veſtri in Chriſto fuerũt, & ſpiritus vos participes fecerunt. In die Stephani protomartyris quieſcant, & reliquorum ſanctorum martyrũ, qui Chriſtum propria vita antepoſuerunt.* Eccleſia etiam Smyrnenſis in epiſtola de

Apud Euſebiũ l. 4. c. 15.

martyrio D. Polycarpi, quę ſcripta fuit ad annum ſalutis 169. ſub finẽ ſic habet. *In loco* (vbi Polycarpi oſſa ambuſta condita erant) *præſtante Domino, ſolennes agimus celebreſq; conuentus, maxime quidem in die paſsionis eius; ſed & cum eorum memorias, qui prius paſsi fuerant, celebramus, vt ſequentium animi ad præceſſorum viam, exemplis inſignibus ſuſcitentur.*

Serm. 3. in diuerſis.
lib. de corona militis.
Lib. 4. ep. 5. & l. 3. ep. 6.
Hom. 26.
l. 8. de curan. Græc. affect. theſi 234.
Epiſt. 85.

249. Origenes memoriæ ꝓdidit, ſuo tẽpore feſtiuitatẽ ſanctorũ innocentiũ celebrẽ fuiſſe. Tertul. ſimiliter, docet oblationes, quæ ſolẽt fieri in natalitiis martyrũ, ab ipſis Apoſtolis per traditionẽ deſcendiſſe. Cyprianus & ille antiquiſsimus, his verbis ſuę ætatis morem inſinuat. *Sacrificia* (inquit, loquẽs de martyribus) *pro eis ſemper, vt meminiſtis offerimus, quoties martyrum paſsiones, & dies anniuerſaria commemoratione celebramus.* Baſilius præterea teſtatur, *ad feſtum diem Mamantis martyris, vrbem vniuerſam immutatam geſtire.* Theodoreti hac de re ſententiam, imò eccleſiæ ſui temporis conſuetudinem, ante commemoraui. Ambroſius vult diem inuentionis SS. Geruaſij & Protaſij, fida deuotione Mediolanenſium obſeruari.

Item

Item diem natalem Cypriani martyris,tum etiam Ioannis Baptiſtæ,Pe- *Serm.72.63*
tri & Pauli,& D.Agnetis,pari pietate celebratum commemorat. *67. & l.de virginibus.*

50. Diuus porrò Auguſtinus,& feſtiuitatũ Sanctorũ meminit,& ra- *Aug.ſer. 21.*
tionẽ colendi Sanctos in illis feſtis pulchre docet, *Nos ergo fratres* (inquit) *de Sanctis,*
dilectiſsimi,vt tã ſanctã feſtiuitatem, nõ ſolùm corporali, ſed etiã ſpirituali cũ gaudio *qui eſt de S.*
celebrare poſsimus, ſecundum vires noſtras ad dandas eleemoſynas, & ad tenendam *Ioanne Bap.*
cum omnibus pacem noſtros animos præparemus, & ab omni ſcurrilitate, vel turpilo-
quio,non ſolum noſmetipſos,ſed & omnem familiam noſtrã,& vniuerſos ad nos perti-
nentes,pro amore Dei, & de zelo ſanctæ diſciplinæ, prohibere totis viribus laboremus;
nec permittamus ſolennitatem ſanctam cantica luxurioſa proferendo polluere. Tunc
enim pro nobis ſanctus Ioannes, quicquid petierimus poterit obtinere, ſi nos feſtiuita-
tem ſuam pacificos,ſobrios,caſtos, abſque vllo turpiloquio cognouerit celebrare. Hæc, *In Pſal. 63.*
& huiuſmodi alia plurima, habet clariſsimum hoc lumen eccleſiæ, non *& in Pſal. 88*
ſolùm in ſermonibus ſuis de Sanctis, ſed in aliis etiam ſuis operibus, vt *Conc. 2.*
nos hinc inde notauimus.

251. Nec ſolùm patres,ſed antiquiſsima præterea Concilia hos feſtos
dies Sanctorũ celebrandos proponunt,atq; adeo ſtatuunt. *Nõ oportet* (in- *Can. 51.*
quit Conc.Laodicenſe) *in quadrageſima martyrum natalia celebrari, ſed eorum*
in ſabbato & dominica tantũ memoriã fieri. Conc.Carthag.tertium, *Liceat* (in- *Can. 47.*
quit) *etiam legi paſsiones martyrum,cum anniuerſarij dies eorum celebrãtur.* Cõc. *Can. 22.*
Toletanum tertium, *Irreligioſa* (inquit) *conſuetudo eſt, quam vulgus per San-*
ctorum ſolennitates & feſtiuitates agere cõſueuerunt. Populi qui debent officia diuina *Cõ. Lugdun.*
attendere, ſaltationibus turpibus inuigilant; cantica non ſolùm mala cantantes, ſed *apud Grat. d. 3. Moguntinũ*
etiam religioſorum officijs perſtrepunt. Hoc enim vt ab omnibus prouincijs depellatur, *c.36.*
ſacerdotum & iudicum à Concilio ſancto cura committitur.

252. Cauſas verò,quæ patres noſtros permouerunt, vt hos Sanctorũ *Iſid. l. 1. de*
feſtos dies inſtituerent, paucis verbis plures perſtringit Iſidorus, *Feſtiui-* *eccle.offic. c.*
tates inquiens Apoſtolorum,ſeu in honore martyrum ſolennitates,antiqui patres in ve- *34. Raban.*
nerationis myſterio celebrari ſanxerunt,vel ad excitandam imitationem,vel vt meri- *l. 2.de.inſti.*
tis eorum conſociemur,atque orationibus adiuuemur;ita tamen vt nulli martyrum,ſed *Cleric. c.43.*
ipſi Deo martyrum offeramus, quamuis in memorijs martyrum conſtituamus altaria. *Aug.in pſ.88*
Eaſdem recenſet antiquus auctor Rabanus. Adhæc, ſi principes terreni *ſerm. 47.de Sanct. l. 20.*
illos dies, quibus in hunc miſerum mundum prodierunt, feſtos agunt *cõ.fauſt.c.21*
ipſi, & vt ab aliis celebrentur, ſolent imperare; quanto iuſtius populus *& lib.10.de ciuit.c.16.*
Chriſtianus eorum natalitia celebrabit, qui à Deo conſtituti ſunt prin- *Bern.in vig.*
cipes ſuper orbem terrarũ, & ſanguinis ſui effuſione Chriſti gloriam ác *Pet.et Paul.*
fidem ſacratiſsimam propagarunt? ni forte plus impiis regibus, quam *Gen. 40.*
ſanctiſsimis Chriſti Apoſtolis & martyrib⁹ tribuẽdũ ſentiant aduerſarij. *2.Mach. c.6*
& Matt.14

253. At Apoſtolus (inquiũt aduerſarij) ꝓpter hãc dierũ,menſiũ,tẽpo-
rũ,& annorũ obſeruationẽ, grauiter rephẽdit Galatas; Romanos ꝑterea
& Co-

Gal. 4. Rom. 14. Aug. l. cont. Adimantum c. 16. Hiero. in com. c. 4. ad Gal.

& Coloſſenſes admonet, *ne quiſquam eos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum.* Verum ſi tam accurati eſſent in ſententia Apoſtoli percipienda, atque præcipites ſunt in verbis congerendis facili negocio vidiſſent viri boni, Apoſtolum in his locis verba facere, nõ de Chriſtianorum feſtiuitatibus, ſed de idololatrica obſeruatione dierum, & temporum, quę ab idololatris dedicata fuerunt Ioui, Mercurio, & reliquæ turbæ commentitiorum deorum, aut de ſuperſtitioſis Iudæorum feſtis iam abrogatis, & veluti vmbris in veritatem conuerſis; ſic enim Sabbatum trãſijt in diem noſtrum dominicum, Paſcha Iudaicum in Chriſti reſurrectionem, pentecoſte ipſorum in celebritatem aduentus Spiritus ſancti.

Ouid. l. 1. faſt.

254. Gentiles etenim, ſic dies obſeruabant, vt quoſdã putarent bonos, quoſdam malos, illos faſtos hos vero infaſtos appellabant; Iudęi autem dies obſeruabant, vt rerum futurarum vmbras atque figuras; hæretici præterea, vt ſint ab omni religione ac pietate exempti, plerique tempora politiæ gratia obſeruant: Catholici poſtremò, partim ob memoriam beneficiorum ſpiritualium acceptorum à Deo, tenentes corpus ipſum cuius vmbram poſsidebãt Iudæi; partim in gratiarum actionem, & ob alias cauſas iam ſupradictas, feſtiuitates Sanctas ſtudioſe colunt. Hinc Gregorius Nazianzenus, *Feſtos* (inquit) *dies Iudæus agitat, ſed ſecundum literam: feſtos iterum gentilis, verum vt dæmonibus placeat, at nobis, quemadmodum omnia, ſic & feſtorum celebrandorum ratio ſpiritualis eſt.*

In orat. ad Greg. Niſſenum.

255. Hinc iam patet manifeſtam eſſe calumniam Magdeburgenſium, dicentium ſolennitates Sanctorum è Montaniſtarum errore ac conſuetudine in Eccleſiam irrepſiſſe; niſi forte ſanctiſsimos illos patres, quos hic recenſuimus, Montani diſcipulos velint haberi. Conſtat etiam non ab idololatris, ſed à Deo ipſo, & hominibus diuino ſpiritu afflatis eſſe inſtitutas, eaſque ad pietatem & cultum Dei plurimùm conducere.

CAPVT IX.

De Peregrinationibus ad loca ſacra, & monumẽta Sanctorum, orandi cauſa ſuſceptis.

256.

Ionas Aurel. l. 3. de cultu imag. In vit. Bern. l. 3. c. 5. Thom. Vualdenſ. tom. 3.

PEregrinationes, quas olim ſuſceperunt pij maiores noſtri ad loca ſacra, impugnarunt egregius ille impoſtor, Arrijque ſectator Claudius Taurinenſis, Petrobruſiani, & VVicleffus, & quos noſtræ tempeſtatis Euangelici vno agmine ſequuntur, ſiue Lutherani, ſiue Caluinates, ſiue Puritani

Puritani; vt particularium hominum nomina velle recenſere eſſet ſu-
peruacaneum, omnes enim vociferantur cultum hunc inanem eſſe, ac
plane ſuperſtitioſum.

257. Econtrà vero fideles per vniuerſum terrarum orbem diffuſi
ab ipſo mundi principio, & crediderunt ſemper, & docuerunt, atque fa-
ctis ipſis demonſtrarunt has peregrinationes Dei honoris ac propriæ ſa-
lutis cauſa ſuſceptas, ſalutares eſſe ac Deo gratas. Hinc in veteri lege ex
diuino præſcripto, omne maſculinum ter in anno debebat comparere *Deut c. 16.*
in conſpectu Dei, in loco quem elegerat Deus, nimirum in ſolennitate
azymorum, & in ſolennitate hebdomadarum, & in ſolennitate taberna-
culorum. Anna præterea & vir eius laudantur, quòd ſtatutis diebus *1. Reg. c. 1.*
aſcenderent ad adorandum in Silo. Salomon abijt in Gabaon ſacrifi- *3. Reg. c. 3.*
caturus Domino, ibique impetrauit donum ſapientiæ; & alibi orat pro *3. Reg. c. 8.*
peregrinantibus ad templum Hieroſolymitanum, vt Deus velit eos
ibidem exaudire. Abraham præterea ſummus Dei amicus, nõ exiſtima-
uit hunc cultum ſuperſtitioſum eſſe, alioquin nunquam erexiſſet alta- *Geneſ. c. 12. & c. 18.*
re in Bethel, eoque rediiſſet ad adorationem.

258. Quàm porro fuerint hæ peregrinationes Deo gratæ, effectus
conſecuti manifeſtè monſtrant; nam ipſe interim promittit ſe defenſu-
rum ciuitates, & oppida abſentibus viris. Annæ præterea prolem, quam *Exod. 34.*
petebat, eamque nobiliſsimam conceſsit; Salomoni ſapientiæ donum
largitus eſt, promiſitq; ſe illos exauditurũ, qui ad templum eius oran-
di cauſa venirent aliunde. Hanc etiam Chriſtianorum videndi & viſi-
tandi loca ſacra præuidens deuotionem Eſaias, prædixit Chriſti ſepul- *Hiero. ep. ad*
chrum futurum glorioſum, propter frequentem concurſum fidelium *Marcellam.*
illud cupientium intueri, & Deum Opt. Max. ibidem adorare.

259. Sed hunc morem obſeruaſſe populum Iudaicum, carnalem at-
que rudem dixeris, iã verò horam aduениſſe, quando veri adoratores *Ioan. 4.*
adorabunt patrem in ſpiritu & veritate, nec in monte Gariſim, nec in
Ieroſolymis, ſed in omni loco dominationis eius. Perinde quaſi Abra-
ham & Anna carnales fuerint, cùm ille Bethel adoratum ſubinde aſcen-
deret; hæc verò ſtatutis diebus ad adorandum in Silo ſeſe conferret. Ru- *Luc. 2.*
des fuerunt parentes Chriſti, qui per ſingulos annos ibant in Ieruſalem;
at Chriſtus ipſe rudis non fuit (niſi forte doctrinæ huius nouæ euange-
licæ) qui cum parentibus ad templum Ieroſolymitanum oraturus ac-
cedebat.

260. Simplices fuerunt paſtores; fateor; Gentiles magi, ſed tamen *Luc. 2.*
illi ex regione, vbi vigilias noctis ſuper gregem ſuum cuſtodiebant, hi *Matth. 2.*
verò ex Oriente magnis itineribus Bethlehem venientes, infantem na-

Act. c. 8. *Matth. 28.*

tum inuenerunt. Eunuchus Candaces reginæ venerat Ieroſolymam adorare; adorauit, rediit, credidit, & baptizatus eſt, ne fruſtra videretur peregrinationem ſuſcepiſſe. Maria Magdalena, & altera Maria venerunt videre ſepulchrum; & præter ſepulchrum Angelum domini inuenerunt, Chriſtumq́; Ieſum, quem vnice deſiderabant conſpexerunt.

Ioan. c. 5. *Hier. de locis Hebraic. poſt mediũ.*

261. Celebris fuit peregrinatio, etiam tempore Chriſti domini, ad probaticam piſcinam ſanitatis recuperandæ gratia, in qua hęc obſeruanda veniunt contra Nouatorum nouitates; primùm Deum opt. max. ſine vllo potentiæ ſuæ, aut honoris præiudicio, conceſsiſſe creaturis virtutẽ miracula patrandi, & illis quidem creaturis, quæ vel verbo diuino, vel ipſo vſu ſanctificabantur, in quibus erat hæc piſcina, in qua lauabantur pecora deſignata ſacrificiis; ex quorũ ſanguine ferè ſemper aqua erat rubicunda. Deinde hanc virtutẽ, vno tẽpore magis quàm alio, donaſſe illi aquę, nimirũ in ſolennibus quibuſdã feſtiuitatibus, vt in feſto Paſchatis, vel Pẽtecoſtes; vt minus mirandũ ſit, ſi Deus interdũ per fontes, Sãctorũ labore aut oratione ſcaturientes, & ſimilia, idq́; in feſtis maxime diebus illorũ Sanctorũ, miracula varia ſanitatis operetur. Tertiò, Angelos ſanctos eſſe patronos quaſi, & protectores quorundã locorum, ac cooperari miraculis, quæ fiunt in gratiam populi fidelis eò concurrentis; quartò miracula non ſoli fidei aſſcribenda eſſe, aut præſentiæ ſpirituali, ſed etiã reali, vt loquũtur, corporali; manifeſtũ enim eſt, neminẽ potuiſſe beneficiũ ſanitatis ex hoc loco ꝑcipere, niſi qui corporaliter pręſens in piſcinã deſcendiſſet, nam vt ait D. Ioannes, *qui prior deſcendebat in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacunq; detinebatur infirmitate.*

Anno 213. *Euſeb. lib. 6. hiſt. c. 9. & Hier. de viris illuſtr.* *Metaphr. in vita Nicolai.*

262. Hinc iam licet intelligere, ꝓhibitum nõ eſſe homini fideli, ab vno loco ad alterum tranſire, vel orandi, vel beneficii alicuius tẽporalis, multo minus ſpiritualis à Deo cõſequendi gratia; id quod patrũ ſanctiſſimorũ ſcripta viuaq; docent exẽpla. *Nam Alexãder Epiſcopus in Cappadocia, Hieroſolymã adorãdi, & ſanctorũ locorũ videndi gratia properauit*; qui vir quãt', & qualis fuit coram Deo, ſatis indicat diuina eius electio ad Epiſcopatũ Hieroſolymitanum. D. Nicolaus iuuenili adhuc ætate longam ſuſcepit peregrinationem ad ſancta loca Hieroſolymis inuiſenda.

Ruffinus l. 1 hiſt. c. 7. *Euſeb. l. 3. de vita Cõſtãt.* *In orat. de obitu Theodoſij Imp.*

263. Helena *Conſtantini mater fœmina incomparabilis fide, & religione animi, ac magnificentia ſingulari, diuinis admonita viſionibus Hieroſolymam petit, atque ibi locum, in quo Sacroſanctum corpus patibulo affixum pependerat, ab incolis perquirit*, multaq; alia præclara geſsit, quibus aperte indicauit ſe credere hoc inuiſendi loca ſacra, & perquirendi reliquias ſtudium, eſſe Deo gratiſſimum; cuius laudes egregiè deprædicat Diuus Ambroſius, aliique inſignes auctores, vt Eutropius lib. 11. rerum Rom. Paulinus epiſt. 11. ad Seuerum, Sulpitius lib. 2. ſacræ hiſt. Socrates. lib. 1. c. 17. Theodoretus

lib. 1.

lib.1.cap.18. Sozomenus lib.2.cap.1. & Iuſtinianus Imperator in nouella conſtitut.28.

264. Chryſoſtomus poſtquam Chriſti ſeruorum ſepulchra regiis aulis clariora eſſe differuiſſet conuenientium ſtudio; ipſoſque Imperatores diuorum monumenta complexuros accedere,necnon faſtu depoſito ipſis ſanctis ſupplicare, vt pro ſe apud Deum orent,quin & Sanctos regum totius orbis eſſe protectores, tandem adiungit, *Et cinis & oſſa, & fauilla inuiſibiles illas poteſtates dilaniant. Itaque quò regias quidem aulas videat, nullus vnquam peregrinatus fuerit; multi verò reges plerunque huius ſpectaculi gratia peregrinati ſunt, futuri namque iudicij veſtigia & ſigna Sanctorum ædes exhibent, vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines & liberantur.* Et alibi hortatur Chriſtianos, *vt ſæpe inuiſant martyres, tumulos adornent, magnaq; fide reliquias eorum contingant, vt inde benedictionem aliquam aſſequantur.* Deſiderabat & ipſe inuiſere locum, vbi Apoſtolorum catenæ conſeruabantur.

Hom. 66. ad pop. Antioch.
Serm. in Iuentium & Maximum. & l. con. gentiles de vita S. Babylæ.
Hom. 8. in c. 4. ad Epheſ.

265. Epiphanius fatetur ad monumentum Ezechielis Prophetæ orationis atque obſequij gratia, confluxiſſe magnam hominum multitudinem, adeo vt Chaldæi, metuentes, ne illam tandem raperent, populum egredientem exinde comitari ceperint, & deducere. Teſtatur præterea ſuo tempore fideles conſueuiſſe ſupplicare ad ſepulchrum Ieremiæ. Theodoretus etiam ſcribit, ſuo ſæculo Chriſtianos ad templa martyrum, per annum ſemel aut bis, aut ſæpius aduentaſſe.

In vita Ezechielis.
In vita Ieremiæ.
Idem habet Dorotheus in Synopſi.
Theodor. l. 8 de cur. Græc. affect.

266. Quin & Ruffinus commemorat quoſdam de Ieroſolymis ex monaſterio Philippi hominis Dei,orationis cauſa Sebaſten veniſſe. Ad hæc ſolennis fuit peregrinatio ad eccleſiam D. Michaëlis prope Cōſtantinopolim à Conſtantino extructam. Mileſius Epiſcopus ob id laudatur, *quod ſolummodo peram circumferens, quæ ſacrum codicem Euangeliorum habebat, perrexerit orationem facturus ad Hieroſolymam, & inde in AEgyptum, vt videret monachos.* In quam ſententiam, poſſent plurima proferri alia luculentiſsima teſtimonia, quibus conſtet eccleſiam Orientem hanc peregrinandi ad loca ſacra conſuetudinem obſeruaſſe, adeoq; poſteris cōmendaſſe, vt rem ad pietatem, & veram virtutem accommodatiſsimam.

Ruffinus l. 2 hiſt. c. 28.
Libr. 2. trip. hiſt. c. 19.
Libr. 3. trip. hiſt. c. 2.

267. Orientali Eccleſiæ conſonat etiam occidentalis, vt ex hiſtoriis eccleſiaſticis, ac ſanctiſsimorum patrum ſcriptis iam manifeſtum faciemus. Ruffinus de clariſsimo ac potentiſsimo Imperatore Theodoſio hæc memoriæ prodidit; *Theodoſius* (inquiens) *præparatur ad bellum, non tam armorum, telorumq;, quam ieiuniorum orationumq; ſubſidijs, non tam excubiarum vigilijs, quam obſecrationum pernoctatione munitus, circumibat cum ſacerdotibus & populo omnia orationum loca; ante martyrum, & Apoſtolorum thecas iacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fida Sanctorum interceſsione poſcebat.*

Ruff. lib. 2. hiſt. c. 32.

K 2 Pruden-

Prudentius ſic canit:

Li. περὶ τῶν ςεφάνων hymno.1. in Hemiterium et Chelidonium. Item in paſſione Hyppoliti.

268. *Illitas cruore Sancto nunc arenas incola,*
Conſiequentant, obſecrantes voce votis munere.
Exteri, necnon & orbis huc colonus aduenit, &c.

Prudentio Paulinus concinit:

Cernere ſæpe iuuat, varijs ſpectacula formis
Mira ſalutantum, & ſibi quæque accommoda votis
Poſcentum; videas etiam de rure colonos
Non ſolùm gremio ſua pignora ferre paterno,
Sed pecora ægra manu ſæpe introducere ſecum.

Ep. ad Marcellam quæ incipit Menſuram. In Epitaphio Paulæ.

269. Hieronymus & ad ſepulchrum Domini, & ad alia Paleſtinæ loca in ſcripturis nobilitata, Chriſtianorum concurrentium, atq; adeo ſui ipſius affectum pium explicat. Idem præterea Paulæ, viduæ nobiliſſimæ peregrinationem ad terram ſanctam deſcribẽs, ait eam omnia monaſteria Cypri luſtraſſe, inde loca nobilia Syriæ inuiſiſſe, tum Hieroſolymam aſcendiſſe, ſepulchrum domini vidiſſe, lapides oſculatam eſſe, oreq́ue lambiſſe, tum in Bethlehem has voces protuliſſe. *Ego miſera atq; peccatrix, digna ſum iudicata deoſculari præſepe, in quo Dominus paruulus vagijt? orare in ſpelunca, in qua virgo puerpera Dominum fudit infantem.* Et ne dicas hãc fuiſſe mulierculãrum inanẽ ſuperſtitionem, audi quid ibidem ſcribat. *Longum eſt* (inquit) *nunc ab aſcenſu Domini vſque ad præſentem diem, per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, qui martyrum, qui eloquentium in doctrina eccleſiaſtica virorum, veniunt Hieroſolymam, putantes ſe minus religionis, minus habere ſcientiæ, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruſcauerit.*

Serm. 90. Auguſt. l. 22 de ciuit. c. 8. Epiſt. 137. ad clerum et populum Hipponenſem. Theſi 237.

270. Ambroſius ſcribit, *Beatam Agnetem parentibus ad eius ſepulchrum aſsiduè vigilantibus, quadam nocte choro virginum comitatam apparuiſſe.* Auguſtinus ſimiliter, miram fidelium pietatem atque cõcurſum ad reliquias Sanctorum deſcribit, in grauiſsimo ſuo opere de ciuitate Dei; nec ſolũ laudat hanc populi pietatem, verum etiam alibi conteſtatur, ſe miſiſſe duos ex Africa in Italiam ad ſepulchrum S. Felicis Nolenſis, vt illius ſancti interceſsione veritas occulta innoteſceret; quod certè neutiquam feciſſet vir ille admirandæ pietatis & eruditionis, ſi ſuſpicatus fuiſſet hunc cultum Deo ingratum fuiſſe atque inuiſum.

In epiſt. ad presbyteros quoſdam. In Monodia in Baſilij magni vitam. li. 3, hiſt. c. 18

271. Glorioſus præterea Chriſti martyr, Euſebius Epiſcopus Vercellenſis commẽmorat peregrinationẽ Syri Diaconi ad loca ſacra. His libet adiungere D. Baſilium, quem cauſa voti ſoluendi, & ſupplicandi peregrinatum eſſe in Seleuciam ad Beatæ Theclæ templum, ſcribit lumen illud Græciæ ac Theologorum apex Gregorius Nazianzenus. Nicephorus item hiſtoricus ſcriptis conſignauit Chriſtianos ſolitos fuiſſe

accedere

accedere ad templum diuina virtute excitatũ in mari ad corpus S. Clementis, martyriſque corpus exoſculatos eſſe. prȩclarumque miraculum de puero ibidem in viuis prȩter omniũ opinionem conſeruato narrat.

272. Hæc maiorum noſtrorum fides fuit, hæc religio atque pietatis affectus; quem quibus machinis conentur euertere noui (ſi diis placet) reformatores, opere pretium erit iam explicare. Clamitant vno ore omnes, & vociferantur, peregrinationes ad loca ſacra nulla ratione tolerandas eſſe; cauſam ſi flagites in promptu habent, eſt enim cultus huiuſmodi ſuperſtitioſus, & Deo inuiſus; idque ex eo colligunt, quod Catholici neſcio quid diuinitatis & ſanctitatis ſtatuis, lociſq; ſacratis aſcribant. Præterea quid abſurdius aiunt effingi poteſt, quam Deum velle ſtatuis quibuſdam & locis alligare, qui vbique præſens ſuos ſeruos exaudit orantes. Adhæc ridiculum plane eſt exiſtimare Deo gratum eſſe, quod vnus inſtar cataphracti, alius nudis pedibus, & alij aliis ſchematis Sanctos inuiſant quaſi Deus externam ſpeciem, & non mentis affectum cõſideret. Proinde iure optimo Gregorius Niſſenus grauiter impugnauit huiuſmodi peregrinationes, merito Euſebius ac Ruffinus Helenam ſuperſtitioſam appellant, quod huiuſmodi ſtudiis plus æquo addicta fuerit *Calu. in c. 3. inſtit. Bucer. in refor. Bon. Apol. Cõfeſſ. Auguſt.* *Cẽturiatores cent. 4. c. 10 in vita Greg. Niſſ. in orat. contra peregrinationem.*

273. Verum id nobis liceat aduerſariis reſpondere generatim, quod olim D. Auguſtinus ipſorum videtur reſpondiſſe maioribus. *Vbique* (inquit) *Deus eſt, & nullo continetur, vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in ſpiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet, & coronet. Veruntamen ad iſta, quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant. Multis enim notiſsima eſt ſanctitas loci, vbi B. Felicis Nolenſis corpus conditum eſt, quo volui vt pergerent (Bonifacius presbyter, & iuuenis qui eum accuſarat) quia inde nobis facilius fideliuſque ſcribi poteſt, quicquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones cõfitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, vt falſum iurando deciperet, compulſum fuiſſe cõfiteri furtum, & quod abſtulerat reddere. Numquid non & Africa ſanctorum martyrum corporibus plena eſt? Et tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri. Sicut enim quod Apoſtolus dicit, non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem ſpirituum, ita nec in omnibus memoriis Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique prout vult.* *Epiſt. 137. ad Clerum & populum Hipponenſe.* *1. Cor. 12.*

274. Nec diuinitatis quicquam attribuunt Catholici ſtatuis, aut locis, quæ inuiſunt; nec Dei miſericordiam certis quibuſdam oratoriis aſtringunt; fatentur enim Deum vbique eſſe, & nullo contineri vel includi loco; agnoſcunt eundem exaudiſſe Moyſen in medio mari, Iob *Theſ*

in ſterquilinio, & Ezechiam in lectulo, vt ſupra docuimus; quia tamen vident ſummam illam potentiam non vbique æqualiter operari, nec dona ſua mortalibus in omnibus locis pari modo communicare, ideo ad illa maxime loca pia quadam deuotione accurrunt, in quibus placet diuinæ ſapientiæ ſuum auxilium hominibus ſingulari quadam prærogatiua præſtare. Vnde ſi quid hic ſuperſtitionis latet, profecto Deus auctor illius cenſendus eſt, non homo, qui Deum in vno loco, & non in altero exaudientem, & miracula facientem orat.

275. Quod ad cataphractum attinet, cæteroſque qui loca ſacra inuiſunt, dubium non eſt, ſi pio affectu hæ corporales afflictiones, ſiue armorum in templis Sanctorum oblationes fiant, Deo gratæ ſint. Dauid, *Ephod lineo accinctus percutiebat in organis armigatis, & ſaltabat totis viribus ante Dominum*: deſpicitur à Michol (vt modo Catholici ab aduerſariis) quaſi vnus de ſcurris; nunquid propterea ingratum fuit obſequium Deo, aut Dauidem puduit facti ſui? minime gentium, *ludam* (inquit) *& vilior fiam plus quàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis*. Michol porrò vt pœnam petulantiæ lueret, *non eſt natus filius vſque in diem mortis ſuæ*, teſtante ſcriptura ſacra.

2. Reg. 6.

276. Nec mirum videri debet, quod Chriſtiani ad perpetuam memoriam beneficij diuinitus accepti, vel arma, vel catenas, aut ſimilia monimenta in memoriis martyrum ſoleant relinquere, cum ſcriptura ſacra teſtetur gladium illũ, quo Dauid amputauit caput Goliath, pallio inuolutum poſt Ephod à ſacerdote Dei fuiſſe cõſeruatum; & Theodoretus ſcribat in templis Sanctorum, *votorum reos dona perſoluiſſe, manifeſta nimirum adeptæ ſanitatis indicia, alios quidem oculorum, alios verò pedum, alios porrò manuum ſimulachra ſuſpendiſſe, ex argento auroue confecta.*

1. Reg. c. 22. Theſ. 234.

277. Nec ſane premit nos multum auctoritas Niſſeni, aut aliorum patrum, ſi ſententia eorum recte intelligatur. Nam vt nihil dicam de oratione quàm citant Magdeburgenſes, illud certe manifeſtum eſt, Niſſeni conſilium non fuiſſe, ſtudium peregrinandi Chriſtianorum penitus euertere, cum vt ſuprà docui, Nazianzenus, vel eo nomine laudat Baſilium fratrem Niſſeni, quòd peregrinatus fuerit *ad templum S. Theclæ, voti ſoluendi & ſupplicandi cauſa*. Quare videtur tantum Monachorum & monialium, quorum eſt in clauſtro Deo ſeruire, vel mulierum & virginum reprehendere peregrinationes, quæ non poſſunt facile ab huiuſmodi perſonis ſine periculo ſuſcipi.

Theſ. 271.

278. Quod verò ad Helenam ſpectat, nullus patrum ante Magdeburgenſes, & noui huius Euangelij ſectatores, præpoſteram aliquam, aut commaculatam ſuperſtitione pietatem in illa annotarunt. Hæc

ſunt

ſunt aduerſariorum figmenta, quibus imperitorum animos capere conantur. Qui enim fieri potuit, vt Euſebius, aut Ruffinus hanc illi ſuperſtitionis notam inureret, quam cum reliquis patribus propter virtutem ac veræ pietatis ſtudium, ampliſsimis verbis exornant?

279. Rideant nunc aduerſarij, atque irrideant quantum libet, Catholiciſque vt ſuperſtitioſis illudant; nos id tantum illis quod olim Auguſtinus dixit Iuliano. *Vos qui tam crebro nobis ſuperſtitionis, atque idololatriæ crimen opponitis, quos & quales viros, & quantos fidei Catholicæ defenſores, tam execrabili criminatione appetere audeatis, ſi euigilatis intuemini.* Non quidem omnium de peregrinatione ad loca ſacra ſententias collegimus, *quia nimis longũ eſt, ſed poſuimus pauca paucorũ, quibus tamen noſtri contradictores cogãtur erubeſcere, & cedere ſi vllus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum peruicatiæ ſuperauerit.* Chryſoſtomum produximus, Epiphanium, Dorotheum, Theodoretum, Ruffinum, Prudentium, Ambroſium, Paulinum, Hieronymum, Auguſtinum, Euſebium Epiſcopum ac martyrem Vercellenſem, Baſilium magnum, Nazianzenum, atque Nicephorum. *Itote nunc, & nobis obijcite ſuperſtitionem atque idololatriam, fingite vos neſcire quid dicant, & ſancta Eccleſia, tot tantoſque doctores, qui vita optime geſta, debellatiſque ſuorum temporum erroribus, glorioſiſsime de hoc ſæculo, antequam vos ebulliretis, exierunt, velut eis non viſis, in nos impetum facientes, & velut neſcientes, quod illi ſub noſtro nomine lacerentur, tanquam ſecuri inſultate. Cernitis cum quibus veſtra maledicta ſuſtineamus, cernitis cum quibus nobis ſit cauſa communis, quam nulla conſideratione ſobria, pulſare calumniis & expugnare conamini? Cernitis quam vobis periculoſum ſit, tam horribile crimen obijcere talibus, & quam nobis glorioſum ſit, quodlibet crimen audire cum talibus? ſi cernitis, cernite, & tandem tacete; Lutheranam ſiue Caluinianam linguam tot linguis Catholicis deprimite; tot venerandis oribus proterua ora ſubmittite.* Hactenus ex Auguſtino mutatis tantum nominibus: vt omnes intelligant, quam graue ſcelus committant aduerſarij, dum ſanctiſsimorum patrum teſtimonia contemnant, aut errores ſuos illis affingunt. Atque hæc de peregrinationibus dicta ſufficiant, quæ vel inuiſendi loca ſacra, vel orandi cauſa ſuſcipiuntur.

Auguſt. l. 1. con. Iul. c. 2.

CAP.

CAPVT X.

Quòd liceat peregrinari, Sanctorumq́; memorias adire, certi generis auxilij, & patrocinij conſequendi cauſa.

280.

Apol confeſ. Auguſt. de inuoc. Sanct. Caluin. c. 15. inſtit. §. 16.

HIc more ſuo debacchãtur in nos aduerſarij, quod ſingulis Sanctis (vt aiunt) certæ procurationes commiſſæ ſint, vt Anna diuitias largiatur, Sebaſtianus arceat peſtilentiam, Valentinus medeatur morbo Comitiali, Georgius tueatur equites; quas perſuaſiones ortas eſſe ex Ethnicis exemplis probare conantur, quia apud Romanos putabatur Iuno ditare, febris arcere febrim, Caſtor & Pollux defendere equites. Deinde quò populo placerent, quas feciſſent fabulas, addũt inuocationem Sanctorum nullum habere mandatum aut teſtimonium ex verbo Dei, imo nec veterum ſcriptorum teſtimonio muniri.

281. Verum ne in malitia ſua glorientur aduerſarij, ſeque ſolos hæc conuicia excogitaſſe arbitrentur, auctores proferemus ex quibus illa deſumpſerunt; vt videant quibuſcum apoſtatis atque hæreticis, hæretici ipſi, nos, quod ſanctiſsimos Dei martyres honore celebremus, quaſi numeroſam deorum multitudinem in orbem inuehamur, crimi-

Aug. ep. 43. nantur. Maximus olim Maudarenſis ad B. Auguſtinum ſcripſit. *Quis ferat, Ioui fulmina vibranti præferri Migdonen. Iunoni, Mineruæ, Veneri, veſtæque Sananem, & cunctis, proh nefas, dijs immortalibus archimartyrem Nãphanionem. Inter quos Lucitas etiam haud minore cultu ſuſcipitur*, & poſt. *Horum buſta, ſi memoratu dignum eſt, reiectis templis, neglectis deorum ſuorum manibus ſtulti frequentant, &c.* Hæc eadem hodie aduerſum nos de Sanctorum veneratione querela.

282. Quam olim Manichæis etiam fuiſſe familiarem teſtantur Fau-

Aug. lib. 20. contra fauſt. c. 4. ſti ipſius apud Auguſtinum verba, *Idola* (inquit) *vertiſtis in martyres, quos votis ſimilibus colitis.* His adiungendus eſt Iulianus Apoſtata, cuius crimi-

Cyril. lib. 6. cont. Iulian. natio extat apud Cyrillum in hæc verba, *Si Hebræorum* (inquit) *ſermones attendiſſetis, non omnibus modis, tam infœliciter ageretis. Sed peius nunc habetis, quam ſi nobiſcum adhuc eſſetis. Leuia autem paſsi eſſetis, & tolerabilia. Vnum enim pro multis dijs coluiſſetis, non hominem, imo non multos homines miſeros, vſos lege dura quadam & aſpera aggreſtemq́; barbariem ſpirante.*

283. Quæ verba ſi cum ſcriptis Euangelicorum noſtri ſæculi conferantur, facile eundem vtroſque occupaſſe ſpiritum indicabunt,

Pantheon

Pantheon (inquiunt Centuriatores) *hactenus occluſum, conceſſu Phocæ Bonifacius aperuit: & pro dijs Ethnicis Mariã, & omnes martyres ſeu Sanctos, Ethnico more ibi coli instituit.* Sic Beza Mariam cum Diana. & templum Lauretanum, cum Dianæ Epheſiorum delubro, ſummo ſcelere auſus eſt conferre. Anglus quidam cõcionator ſanctam Agatham cum Vulcano, & Veſta ſcelerate conferre non eſt veritus. Hæc paucis aſcripſi, vt omnes intelligant nouatores eandem modo agere cauſam, quam olim contra Christianos egerunt Ethnici, Apoſtatæ atque hæretici Manichæi. *Cent. 7. c. 6.* *In c. 19. Act.* *Alanus Copus dialog. 3. cap. 28.*

284. His ergo relictis, doceamus nos conſuetudinem hanc Catholicorum accedentium ad monumenta Sanctorum, aut inuocantium eos auxilij implorandi, vel miſeriæ ac calamitatis depellendæ cauſa, non à ſexcentis annis vigere incepiſſe, ſed ab antiquiſsimis Christianis vſurpatam, & à ſanctiſsimis patribus approbatam. Dorotheus in Synopſi ſcribit coëmiterium Eunuchi Candaces reginæ eſſe *munimentum inſuperabile fidelibus; Barbaros ſcelestos fugans, morbos pellens, & ſanationes operans vſque in hodiernum diem.*

285. Baſilius in orat. de 40. martyribus, *qui* (inquit) *rebus afflictionibus laborat, & qui florente rerum fortuna gaudet, ad iſtos 40. martyres accurrit, ille vt à calamitate expediatur, hic vt res ſecundæ ſibi ſint perpetuæ.* Item, *Hic mulier orans pro filijs auditur, peregrinanti viro reditum incolumem, ægrotanti vero ſalutem implorat.* Idem dicit, *Mamantem martyrem aberrantes ad viam reduxiſſe, alios ſanitati reſtituiſſe, pueros iam mortuos ad vitam reductos parentibus reddidiſſe, alijs vitæ terminos prorogaſſe. Ad martyris* (inquit) *memoriam & tota regio mota eſt, & ad illius feſtum diem, vrbs vniuerſa immutata geſtit. Neque cognati diuitum ad maiorum ſuorum ſepulchra declinant, ſed omnes ad pietatis locum tendunt.* *Serm. de 40. martyribus.* *Hom. 26. de Mamante.*

286. Gregorius Niſſenus Magni Baſilij frater, ſic Theodorũ martyrem alloquitur, *vt miles propugna pro nobis. pete pacem, vt hi publici conuentus non deſinant.* Nazianzenus vtriuſque æqualis, & vtriq; amicitia ac fide coniunctus, ſic B. virginem alloquitur: *Orat. de Theodoro.* *In fine tragædiæ Christus patiens.*

Plexamq; de prato coronam florido
Tibi offero regina, quod me plurimis
Dignata quondam gratijs, varijs adhæc
Me liberas ſemper calamitatibus,
Multisq; defenſas ab aduerſarijs
Tam qui videntur, quàm qui videri haud queunt.

287. Epiphanius, & ipſe antiquiſsimus auctor, teſtatur AEgyptios ſæpe expertos eſſe ſe plurimis beneficiis, per ſanctum Ieremiam adiuuari, eiuſque interceſsione à Crocodilis & Aſpidibus fuiſſe liberatos. *Aſpides* (inquit) *& vndarum beluæ, quas Nephod appellitant AEgyptij, Græci verò* τοὺς κροκοδείλους, *eos interimentes, poſtulationis Ieremiæ beneficio ex illis finibus ſunt* *In vita Ieremiæ. Iſidorus & Doroth. in l. de vitis Prophetarũ.*

proſligati, nec tam aſpidum furor, quàm ex flumine ratione pari beſtiarum inſidiæ. Quique vel hodie adhuc fideles comperiuntur, eodem in loco ſupplicare conſueuerunt, & ſumpto puluere morſibus aſpidum medentur, feræ quoque aquarum hinc aufugerũt. Deſcribit idem auctor, memorabile aquæ profluentis beneficium, quod Eſaias poſt mortem in Iudæos ad ipſius ſepulchrum conferebat.

In vita Eſa.

Euſeb. lib. 6. hiſt. c. 5. *Aug. lib. 22. de ciuit. c. 8.* *Lib. 1. de ciuit. c. 4.*

288. Euſebiꝰ refert, *Potamiænã martyrem multis impetraſſe à Domino coronas martyrij.* Auguſtinus memoriæ mãdauit, Florẽtij cuiuſdã inopiã mirificè ſubleuatã beneficio 20. martyrum; Et alibi narrat apud reliquias D. Stephani Hypponæ duos ſanitati à tremore horrendo corporis reſtitutos, qui alibi liberari non poterant; rurſus alio in loco docet Petrum & Paulum protexiſſe Romanos ad ſuas Baſilicas confugientes.

Serm. 1. in natali Petri & Pauli. *In orat. Funebri de obitu fratris Satyri.* *Homil. 2. in pſal. 50. ſer. 35. de vitiis & virtutib. hom. 28. poſt reditũ habita. & orat. de Babyla.*

289. Leo papa de Petri & Pauli, erga Romanam vrbem præſidiis hæc habet, *ſicut experti ſumus, & noſtri probauere maiores, credimus atque confidimus inter omnes huius vitæ labores, ad obtinendam miſericordiam Dei, ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adiuuandos, vt quantum proprijs peccatis deprimimur, tanto Apoſtolicis meritis erigamur.* Ambroſius, *Tuis* (inquit) *votis, apud ſanctum martyrem Laurentium impetratum eſſe nunc cognoſcimus commeatum, atque vtinam non ſolùm commeatum, ſed etiam prolixum vitæ tempus rogaſſes. Potuiſti annos plurimos impetrare viuendi, qui potuiſti commeatum impetrare veniendi.* Chryſoſtomus, *Dauid* (inquit) *non ſolum cùm in corpore eſſet, placuit Deo, ſed & poſt mortem ſuam, viuis inuenitur præſtitiſſe grande ſolatium;* & iterùm, *Protegam hanc ciuitatem propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Dauid mortuus eſt, & merita eius vigent, homo mortuus viuo patrocinatur.*

Tripart. hiſt. lib. 2. c. 19.

290. Sozomenus (vt habet auctor tripartitæ hiſtoriæ) inſignem deſcribens fidelium peregrinationem ad Baſilicam S. Michaëlis, inter alia hæc habet, *Quidam* (inquit) *in cauſas difficiles, aut ineuitabilia pericula, alij vero in languores, aut ignotas paſsiones incidentes, illic ſupplicãtes Deo, liberari promeruerunt.* Narrat præterea Aquilinum grauiſsimo morbo laborantem eò delatum à ſuis, curatum fuiſſe. Probianũ etiam crudeli podagræ paſsione detentum à doloribus liberatũ. Theodoretus præclara hac eadẽ de re ad poſteros tranſmiſit. *Quiq;* (inquit) *homines proſpera ſunt valetudine, conſeruari eam ſibi à martyribus petunt: qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, ſanitatem expoſcunt. Inſuper ſteriles viri & fœminæ dari ſibi filios petunt, qui peregre aliquò proficiſcuntur petunt martyres ſibi comites eſſe in via.*

Lib. 8. Græc. affect.

Lib. Periſtephanon. hymno 1. in Hemiterium.

291. Prudentius non ſolùm peregrinationem ad martyrum ſepulchra commemorat, ſed etiam impetrata poſtulata docet.

Nemo puras heic rogando fruſtra congeſsit preces:
Lætus hinc terſis reuertit ſupplicator fletibus.
Omne quod iuſtum popoſcit, impetratum ſentiens.
Tanta pro noſtris periclis cura ſuffragantium eſt;

Non

Non ſinant, inane vt vllus voce murmur fuderit:
Audiunt, ſtatimq́, ad aurem Regis æterni ferunt.

Paulinus ſimilia habet de glorioſo martyre Felice Nolano.

In carmine ad Cytheriū de naufragio Martiniani.

In ora lapſus, ora non lædit ſua:
In ſaxa fuſus & rubos,
Nec ſente vultum, nec lapide artus contudit,
Felicis exceptus manu.

Et iterùm.

In natali 2. Felicis.

Et maria intraui duce te, quia cura pericli
Ceſsit amore tui: nec te ſine: nam tua ſenſi
Præſidia, in Domino ſuperans maris aſpera Chriſto, &c.

292. His teſtimoniis euicimus, ni fallar, non eſſe nouū ſcholaſticorū inuētum, ad ſepulchra martyrū ſanitatis recuperādę, alteriuſue cōmodi impetrādi, vel calamitatis alicuius depellendę cauſa, peregrinari. Iam reſtat, vt doceamus in hac Sanctorū veneratione, nullum ſubeſſe idololatriæ, vel ſuperſtitionis periculum. Et ſane homini cordato ſatis eſſe deberet, ſanctiſsimorū patrū auctoritas, ſumma pietas, excellēs eruditio, & charitas admirabilis; quæ vt in rebus minoris momenti, coēgit illos magna Chriſti cauſa ſubire certamina; ita profectò in grauiſsimo idololatriæ crimine, non permiſiſſet eos obſoleſcere, ſi vllum vel idololatriæ, vel ſuperſtitionis vitiū, in hoc de quo agimus cultu animaduertiſſent. Sed agedum, quo obturentur ora blaſphemantium, doceamus hunc cultum ſuperſtitioſum non eſſe cenſendum.

293. Primum illud in confeſſō eſt, Raphaëlem Archangelum, nō ſolùm liberaſſe Tobiā ex magnis periculis, ſed præclara etiam beneficia eidem contuliſſe: Angelum etiam Dei eruiſſe Iacob ex cunctis malis, Petrum ex carceribus liberaſſe; alioſq́; alios mortales patrocinio ſuo tueri atque defendere ſolitos; quare ergo quod ipſi faciunt, nobis non licebit agnoſcere factum? aut cur nos in neceſsitatibus noſtris rogare eos non poſſumus, vt auxilientur nobis, qui ſua ſponte ſuccurrunt neceſsitatibus noſtris? Eccleſia orauit, Angelus petrum liberauit; Iacob malis opprimebatur, Angelus eum eruit ex cunctis malis: quid hic detractum eſt honori Dei? nihil. Laudatur Deus in Sanctis ſuis: quid illi adimitur? minus. honor enim ſiue gratiarum actio, quæ Angelo defertur, non Angelo, ſed Deo in Angelo, vel Angelo propter Deum exhibetur, vt ſuprà docuimus.

Tobiæ c. 12. Geneſ. 42. Act. 12. & Chryſoſt in laudib. Pauli hom. 7. tō. 3. Matth. 18. & Hier. in eum locum.

Theſi 38. etc.

294. Quemadmodum ſapientia Dei, ſic communicauit dona ſua in hac vita, vt vni non impartiret omnia, *ſed alteri operationem virtutum, alteri prophetiam, alteri diſcretionem ſpirituum, alteri gratiam ſanitatum, alteri genera linguarum, alteri interpretationem ſermonum, diuidens ſingulis prout vult,*

Rom. 12. 1. Corinth. 12

ſed communem eccleſiæ vtilitatem; ita in memoriis Sanctorum fieri decreuit, vt in vna pellerentur dæmones, in alia panderentur occulta Aug. ep. 137. delicta, in alia neceſsitatibus fidelium variis ſubueniretur modis. Non enim minuitur potentia Dei ex morte ſeruorum, vt non poſsit per oſſa mortuorum illa præſtare, quæ antea per viuorum manus & membra patrauit.

295. Rurſus, ſi hæc beneficia mortalibus non præſtentur auxilio, vel interceſsione Sanctorum; id ſane prouenit, vel quia Sancti non poſſunt nos iuuare, vel quia nolunt id beneficij præſtare, vel demum, quia Deus id non permittit. Quod non poſsint nos iuuare, haud eſt credibi- Hieron. cont. Vigilantium. le; *Nam ſi Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti, poſſunt orare pro cæteris, vmbra ſua, ſudariolis, ſemicinctijs, veſtibus, atque adeo baculis ægrotos curare, ac mortuos reſuſcitare, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti; quanto magis poſt coronas, victorias & triumphos? vnus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat* Exod. c. 32. Actor. 7. *à Deo veniam, & Stephanus imitator Domini ſui, & primus martyr in Chriſto, pro perſecutoribus veniam deprecatur; & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in naui animas condonatas; & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro ijs qui in toto orbe, ad ſuum Euangelium crediderunt, mutire non poterit? Meliorq́; erit Caluinus aut Lutherus viuens, quàm ille leo mortuus?*

296. Quòd vero Sancti id beneficij nobis velint præſtare, argumento eſt charitatis incrementum, quo aucti in cæleſti patria non minori, imo longe maiori ſtudio noſtram deſiderant ſalutem, quàm dum in hac mortali degerent vita; vt ſuo in loco docuimus. Nec dici poteſt, Deũ non velle hoc permittere, cum ipſa miracula, quæ omnes vires naturæ ſuperant, atque à ſolo Deo fieri poſſunt, abunde teſtentur, & Deum hoc velle, & cultum ſibi pergratum eſſe.

297. Cauſas porrò, ſi petas, cur Chriſtiani homines ad vnum locũ, potius quàm alium, ad vnum Sanctum, & non ad alterum accedant, ſanitatem vel ſimilia beneficia percepturi: reſpondemus Deum ipſum in primis cauſam eſſe, qui beneficij genere, veluti voce quadam, ad cer- Aug. ep. 137. ta loca, vbi dona ſua diſtribuit, mortales euocare videtur; deinde pietatem hominis, atque voluntatem propenſam erga Sanctum, quem venerari cupit in eo ipſo loco, vbi certamen glorioſum ſuſtinuit, vel vbi ſacra membra quieſcunt, eaq́ue miracula operatur, quę in vita ſua per virtutem Chriſti operatus fuerat. Quemadmodum enim Diuina ſapientia olim Michaëlis ad opem ſuis in bello ferendam, Gabrielis ad incarnationis myſterium nunciandum, Raphaëlis verò opera ad curationem viſus eſt, & in piſcina Salomonis magis quàm alibi, idq́ue ſingulis diebus ſingulos tantũ & nõ plures ægrotos, & Naaman in Iordanę magis quàm

in alio

in alio flumine curauit; certis etiam quibuſdam regionibus illa cõceſſit, quæ alibi reperire difficile eſt, v.g. aurum, ſtannum, equos veloces, lapides, plantas, herbas, balſamum, & id genus alia, ac proinde qui hæc cupiunt, ad eas regiones ſeſe conferunt; ita quoque diuinæ ſapientiæ viſum fuit, quibuſdam ſeruis ſuis adhuc mortalem vitam degentibus, & vita deinde piè functis, certa quædam dona ſanitatis, vel alia beneficia præſtandi virtutem largiri, quæ aliis paſsim non communicauerat; ideo mortales neceſsitatibus oppreſsi, ad illa loca confugerunt, vbi hęc miracula fieri cernebant.

298. Sic ad templum D. Philippi Apoſtoli Siciliæ, quotannis die illi ſacro, multi dęmoniaci curantur, quod anno Domini 1541. tam admirabili prodigio cõtigit, vt penè 200. feminæ ad mentis ſanitatem, abactis dæmonibus redierint. Sic ad velum D. Agathæ accurrunt incolæ, quoniam experientia compertum eſt ad annum Chriſti 156. 1329. 1444. & 1537. illud incendiis Aethnæis, omnia paſsim obuia miſerabili ſpectaculo ac clade peruaſtantibus, reſtitiſſe, eorumq́; vim ac furorem cõpreſſiſſe. Viti martyris beneficio, quotquot eius templum in Sicilia celeberrimum, à cane rabido morſi inuiſunt, præſens ſemper remedium inueniunt. Cuius generis beneficium, ſentiunt etiam apud Rhodiginos in Italia ad templum S. Bellini.

Thomas Fazellus dec. 1. de rebus Siculis l. 10. c. 2. Decad. 1. lib. 2. c. 4.

Fazellus l. 7 prioris dec. c. 3.

Cœlius Rhodig. Antiq. l. 17. c. 28.

299. Sancti præterea Edouardi regis precibus, vt creditur, & meritis, à Deo regibus Angliæ tributum eſt, vt tactu ac hymnis quibuſdam recitatis ſtrumoſos ſanent; vtque annulis ad diem Paraſceues quotannis ab eiſdem regibus ſolenni quodam ritu conſecratis, eam vim inſerant, qua homines à comitiali morbo liberantur. Hũc præterea eundem morbum ſtrumarum, miraculoſe curant reges Galliæ. Quæ ſane cum ita ſint, mirũ non eſt, ſi Chriſtiani homines ad templa & memorias martyrum frequenter confugiant, vnde tanta beneficia & præmia laborum reportant, quemadmodum ad reges Angliæ & Galliæ ſanitatem recepturi accedunt.

Polydorus Virgilius l. 8 hiſt. Anglicæ

Steph. Vvintonien. in ep. quadam ad Ridleum.

Barthol. Camerarius in dial. de oratione c. 5.

300. At à Gentilibus hunc morem acceperunt Chriſtiani, vt ad diuos tutelares in neceſsitatibus ſuis recurrant, ſi aduerſariis Sanctorum, & fidei Catholicæ hoſtibus, fides ſit habenda; qui in cælum non verentes impura ora erigere, Deum in Sanctis ſuis blaſphemant, ſacratiſsimam virginem ac Dei matrem cum Diana, Agatham cum Vulcano & Veſta, ac alios cum aliis committentes. Quibus quod olim Auguſtinus ipſorum parenti Fauſto reſpondit, nos reſpondemus. *Quod etiam hinc nobis calumniatur Fauſtus* (Caluinus & Lutherus) *quod martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola conuertiſſe, nõ tã me mouet, vt huic calumniæ reſpondeam.* Et poſtea, *Populus Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolennitate concelebrat,*

Lib. 20. con. Fauſt. c. 21.

& ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur; ita tamen vt nulli martyrum, ſed ipſi Deo martyrum, quamuis in memoriis martyrum conſtituamus altaria. Hæc & huiuſmodi alia præclare ſcripſit Auguſtinus de cultu Sanctorum, quæ & ora Manichæorum obturarunt, & noſtris aduerſariis ſufficere poſſunt ad mendacia conuincenda, & malitiam retegendam.

301. Si mouet aduerſarios, quod Gentiles ſuos Deos ad eum ferè modum coluerunt, quo nos Sanctos noſtros; prius diſcant quàm impugnent veritatem; gentiles diuinitatem tribuebant diis ſuis, quam nos vni Deo, non Sanctis Dei attribuimus; illi ſacrificia idolis offerebant, nos hunc cultum ſoli Deo deferendum aſſerimus. Poſtremò,

Ibid. c. 21.

ſicut non ideo contemnenda vel deteſtanda virginitas (ait Auguſtinus) *quia & veſtales virgines fuerunt, & non ideo ſunt reprehendenda ſacrificia patrum, quia ſunt & ſacrificia gentium; quia ſicut inter illas virginitates multum diſtat, quamuis nihil aliud diſtet, niſi quæ cui voueatur atque reddatur: ſic inter ſacrificia paganorum, & Hebræorum multum diſtat, eo ipſo, quod hoc ſolum diſtat, quæ cui ſunt immolata & oblata: illa ſcilicet ſuperbæ impietati dæmoniorum, idipſum ſibi hoc arrogantium, quo haberentur dij, quia diuinus honor eſt ſacrificium: illa vero vni Deo, vt ei offerretur ſimilitudo, promittens veritatem ſacrificij, cui erat offerenda ipſa reddita veritas in paſsione corporis & ſanguinis Chriſti*; ad eum modum dicimus, ideo deteſtandum aut contemnendum non eſſe cultum Sanctorum, quia gentiles ſuos etiam Deos coluerunt: quia & fines & rationes, vt iam diximus, ſunt diſpares, & longe diuerſi.

Lege Cyrillū l. 6. cont. Iulianum, qui reſpondet Apoſtatæ conuicijs.

Aug. ep. 49 ad Deo gratias q. 3.
Hiero. cont. Vigilantium.

302. Quod ſi tam difficiles Ariſtarchos ſe reformatores noui præbent, vt nihil velint cum gentilibus habere commune, ſuaſerim illis, vt nec Deum laudent, quia illi laudarunt Deos ſuos; nec templa erigant, quia & illi Deorum ſuorum templa habebãt; nec ſcholas habeant, nec vxores ducant, nec vt vno verbo dicam, comedãt, corpuſue tegant, aut rempublicam gerant, quia hæc omnia Gentiles peregerunt: aboleant baptiſmum, quia & illi aquam luſtralem habebant, aboleant panem & vinum à cœna ſua, quia Ethnici in ſuis ſacrificiis iiſdem vtebantur. Quæ ſi abſurda ſunt, & minimè ab hominibus ingenuis concedenda, eo quòd quæ ex natura ſua ἀδιάφορα habentur, poſſuntq; in bonam partem vel malam conuerti, tam iuſtis quàm peccatoribus, gentilibus quam Chriſtianis inſeruire queant; certe nec cultus diuorum ideo erit contemnendus, quia gentiles in ſuis diis colendis ſimilem rationem vſurparunt.

CAP.

CAPVT XI.

De miraculis Sanctorum.

DE ſanctorum miraculis ea ſunt hoc in loco aſcribenda,quę 303.
ad illorum confirmationem, & aduerſariorũ conuicia retundenda facere videbuntur,idq́; quàm breuiſsimè. Nam licet in reliquis,quæ ad cultum Sanctorum pertinent, inſigniter ſuam perfidiam prodiderint, in hac tamen miraculorum oppugnatione,& ſe,& anteceſſores ſuos longè ſuperarũt;quòd ſcilicet omnium aliorum conuicia,calumnias, irriſiones & blaſphemias in vnum quaſi locum congeſta, in Sanctos Dei & miracula eorum hoc tempore effundant. Etenim cum Phariſæis & Porphyrio dicunt Sanctos *Matth. 9.*
noſtros in principe dæmoniorum eiicere dæmonia; cum Vigilantio irrident miracula perpetrata; cũ VValdenſibus negant vera miracula in eccleſia fieri; cum Arianis per maleficia dicunt omnia præſtari; denique vt Bogomili olim aſſerebant, *Moyſen à Satana illuſum eduxiſſe populum ex Aegypto,editis per eundem Satanam ſignis,& portentis*, ita noſtri noui Doctores *In Panoplia tit. 23.*
populum aiunt nunc abduci à lumine Euangelij Lutherani, per Pontificios præſtigiatores. Agnoſcant ergo ſi placet maiores ſuos, Iudæos perfidos, Iulianum Apoſtatam, Porphyrium, Ethnicos, Arrianos, VValdenſes & Bogomilos; vt intelligant nos cum patribus ſanctiſsimis, qui ſe hiſce furiis oppoſuerunt, veritatem miraculorum propugnare.

304. Miraculũ aũt hîc vocam⁹, *a* quod ita ſuperat naturæ vires, vt à nulla creatura vi ꝓpria, ſed ſola virtute Dei p̃ter ordinẽ cõmuniter ſeruatũ in reb⁹ fieri poſsit; nã tale opus vere admirationẽ affert intuẽtibus, iuxta vocis ſignificationẽ. *b* Nec tamẽ ſunt omnia miracula eiuſdẽ rationis & cõditionis; q̃dã enim ſuperant vim omnẽ cauſæ naturalis, nõ tantũ ſecundum rei ſubſtãtiã, ſed ordinẽ etiã atq; modũ, vt *c* fuit receſſus ſolis, & *d* eiuſdẽ à motu quies: alia vero ſunt, quæ naturę vires ſuperãt, ſi ſubiectũ attẽdamus, nõ ipſius operis ſubſtantiã; natura enim efficere poteſt ꝑ viã generationis, vt homo viuat, & videat, nõ tamẽ efficit vnquã, vt homo mortuus viuat, aut cæcus videat; ꝓinde hoc opus ſolius Dei ꝓpriũ eſt, ſi ordinẽ eius in ſubiecta materia cõſideremus; poſtremò ſunt & alia, q̃ licet à natura, ſi ſubſtãtiã ſpectem⁹, fieri poſsint, nõ tñ ſi ordinẽ & modũ operãdi intueamur; põt enim cauſa naturalis ſanitatẽ cõferre, põt ꝓducere pluuiam, & ſimilia p̃ſtare ꝑ principia ſua natiua; idq́; minimo tẽporis ſpacio; nõ tñ põt hæc in vno ꝓcreare momẽto. Vnde q̃uis dęmones applicãdo (vt ita dicã) actiua paſsiuis, vel ꝑ motũ localẽ, aut ſenſus humani immutationẽ poſsint mira ꝓdigia interdũ operari, vera tamẽ miracula

a D. Thom. 1. p. q. 110. a. 4. q. 105. a. 8. q. 114. a. 4.
D. Chryſ. hõ. 49. in Matt.
b D. Thom. 12. q. 113. a. 10 & l. 3. cont. gent. c. 101.
c 4. reg. c. 20
d Ioſue c. 10
D. Thom. 1. p. q. 114. a. 4 ad. 2.
Abulẽſ. ſuper Exod.

Ambroſius in Examerō. Aug. lib. 21. ciui. c. 5. et 6 l. 3. de trin. c. 8.

ex vi naturæ ſuæ facere non poſſunt, quemadmodum nec creare magis quam vinitor aut agricola vinum creet vel frumentum, vt docet D. Auguſtinus, *licet eorum extrinſecus adhibitus motibus, iſta creanda Dei virtus interius operetur.*

2. Corinth. 11

305. Quoniam verò Satanas transformat ſe in Angelum lucis, conaturque omnibus modis per præſtigias ſuas, à vera pietate Chriſti ſeruos abducere; elaborandum eſt, vt eius præſtigias atq; prodigia à veris miraculis ſecernamus. Id aūt cōmode fiet, ſi aliquot ſigna, quibus vera miracula à falſis queant diſcriminari, obſeruemus. Poſſunt vero hæc vel ab ipſo effectore, vel ab effectus ſubſtātia & duratione, vel à modo & ratione productionis, vel denique ab ipſo fine actionis deſumi.

D. Thom. 1. p q. 114. a. 4 Li. 3. de trin. c. 8.

306. Quod ergo ad miraculorū effectorem attinet, omnium calculis manifeſtum eſt ſolum Deum totius naturæ dominum, vera miracula poſſe facere, dæmones aūt adhibendo quædam ſemina, quæ in elementis mundi inueniuntur ad effectus quoſdā mirabiles ꝑducendum cōcurrere, intra naturæ tamen limites atq; ordinē. Hinc Auguſtinus. *Aliud* (inquit) *eſt ex intimo ac ſummo cauſarū cardine condere atq; adminiſtrare creaturam, quod qui facit, ſolus creator eſt Deus: aliud aūt ꝓ diſtributis ab illo viribus, & facultatibus, aliquā operationem forinſecùs admouere, vt tùnc vel tùnc, ſic vel ſic exeat quod creatur. Iſta quippe originaliter ac primordialiter in quadā textura elementorū cuncta iam creata ſunt, ſed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nā ſicut matres grauidæ ſunt fœtibus, ſic ipſe mundus grauidus eſt cauſis naſcentium, quæ in illo nō creantur, niſi ab illa ſumma eſſentia, vbi nec oritur, nec moritur aliquid, nec incipit eſſe, nec deſinit. Adhibere aūt forinſecus accidentes cauſas, quæ tametſi non ſunt naturales, tamen ſecundū naturā exhibentur, vt ea quæ ſecreto naturæ ſinu abdita cōtinentur, erūpāt & foris creentur, nō ſolùm mali angeli, ſed etiā mali homines poſſunt, ſicut exemplo agriculturæ ſupra docui.* Hęc ille, explicās cōcurſum creaturarū ad effectꝰ quoſdā mirabiles inde eliciendos. Pręterea ibidem docet Deum nō ꝑmiſiſſe, vt Magi Pharaonis, qui ſerpētes facere potuerunt, muſcas minutiſsimas, cyniphesq́; producerent; vt nos intelligeremus *ne ipſos quidem tranſgreſſores angelos, & aëreas poteſtates, per quas magicæ artes poſſunt quicquid poſſunt, valere aliquid niſi data deſuper poteſtate.*

Ibid. cap. 7. Exod. c. 7.

a Secunda parte decret. cauſſa. 26. q. 5. per totum. D. Thom. 1. p. q. 110. a. 4 ad. 2. Irē. l. 2. c. 57

307. Homines præterea illi, quibus dæmon potiſsimùm vtitur ad res quaſdā mirabiles oſtētandas *a* improbi ſunt & ſcelerati, vt magi, hæretici, idolorum cultores, venefici, decoctores, deſperati, homicidæ, & id genus alij: at verò noſtra miracula quæ propugnamus, à viris ſanctiſsimis, ac omni virtutū genere ornatiſsimis patrata ſunt; ab illis inquam, qui grauiſsima Chriſti cauſa ſuſtinuerunt tormenta, pro veritate vſque ad ſanguinis effuſionem certantes, vel in ſumma puritate, paupertate, ſanctimonia vitam vſq; ad finē peregerunt. Verè vt liceat nobis cū Pro-

pheta

pheta dicere, *mirabilis Deus in ſanctis ſuis*. b Non tamen negamus, quin per malos poſſint interdum etiam huiuſmodi opera fieri.

Pſal. 67.
Pſal. 138.

308. Iam verò ſi operis ſubſtantiam inſpiciamus; quamuis non ne- b gemus ſæpenumero veros per c dæmones produci effectus, vt ſerpentes, ranas, & ſimilia; plerúq; tamen inania ſunt ſpectra & præſtigiatorum illuſiones. d Hinc Iſidorus, *in gentiliũ (inquit) libris legitur, quod quadam maga Circe ſocios Vlyſſis mutauerit in beſtias. Legitur etiam de ſacrificio, quod Arcades Deo ſuo Lycæo immolabant, ex quo quicunq; ſumerent in beſtiarum formas cõuerterentur. Sed hæc omnia magicis præſtigiis potius ſingebãtur; quam rerum veritate cõplerentur.* Qua vero ratione hæc fiant per phantaſiæ, & ſenſus immutationem, aut alios occultos modos, explicat e D. Thomas. Hinc etiam f Chryſoſtomus ſcribit, *ſigna dari eadem à dæmonibus, & pſeudoprophetis facientibus in ſimulatione, quæ faciunt ſideles in veritate.* Miracula verò Sanctorum noſtrorũ vera ſunt & explorata, vt experientia quotidiana docet in cæcorum, claudorum, & id genus aliorum curationibus.

f *Chryſoſt. hom. 49. in c. 24. Matth. & Auguſt. l. 18. de ciuit. c. 18. idem habet.*

b *D. Thõ. 22 q. 178. a. 2.*
c *Aug. l. 20. de ciuit. c. 19. & 23.*
D. Thom. 1. p. q. 114. a. 4
d *Iſidor. l. 8. Ety. c. 9. & refertur 26. q. 5. c. Nec mirũ. Irenæ l. 2. c. 58.*
e *D. Tho. 1. p. q. 114. a. 4 & q. 111. a. 3. & 4.*

309. Porrò hoc diſcriminis eſt inter vera ac falſa miracula, quòd illorũ effectus cõſtantes ſint & diuturni; ſiquidem mortui reſuſcitati diu poſtmodum vixerunt, omneſq; functiones humanas exercuerunt, perinde ac ſi nũquam obijſſent, cæci etiam recte vident, claudi ambulant, qui diuinitus ſunt edocti myſteria diuina, illa firmiter poſtea retinent; horum contra pręſtigiatorum effectus ſi veri fuerint, breuiori temporis periodo circumſcribuntur, & citò in fumos euaneſcũt, quia nõ fiunt ab auctore naturæ, nec habẽt principia firma, quorum virtute innituntur. Poteſt dęmon efficere vt corpus mortuum moueatur, Enthuſiaſta quiſpiam mira effutiat de rebus diuinis, ſed vt anima reſtituatur corpori facere nõ poteſt, aut vt firma ſit eius ars ſibiq; conſtans, accedente vero fidei lumine, vix crediderim; ſiquidem experiẽtia docuit hac noſtra tempeſtate, anabaptiſtas quoſdã, vbi ad eccleſiã Chriſti redirent, illã amplius cognitionem rerum non habuiſſe, quã dęmonis arte prius acquiſiuerãt.

Ioan. 11.
Chryſo. hom. 49. in Matt. cap. 24.
Ireneus l. 2. c. 58.
Egeſippus de miraculis Simonis Magi.
Philoſtratus in vita Apollonij.

310. Rurſum in modo operandi hoc intereſt diſcriminis, quòd pręſtigię diabolicę, aut miracula falſa, ſæpenumero fiant interuẽtu alicuius mixtionis ſuſpectæ, vel characteris ſeu figuræ, incantationis, ligaturæ, & ſimilium cæremoniarum; miracula ẽ diuerſo vera abſque huiuſmodi ſuperſtitionibus, à ſanctis Dei hominibus perficiuntur, per ſolã nominis diuini inuocationem, per crucis formationẽ, fidelẽ ac humilẽ orationẽ, per contactum Sancti vel reliquiarum eius; imò interdum ſine vlla omnino externa actione, vt ſæpenumerò fit ad monumenta Sanctorum.

Ireneus l. 2. cap. 58.
D. Tho. 1. p. q. 110. a. 4.
Lud. vives de ver. fidei Chriſt. l. 2.

311. Ad hæc longe diuerſi ſunt fines verorum miraculorum atq; falſorum; ſiquidem illorũ finis eſt Dei honor, fidei propagatio, religionis

Ioan. 11.
Marc. 14.

ſacroſanctę cõfirmatio, hominũ etiã vtilitas, ſanitas nimirũ animę & cor-
Ioan. 5. & 7 poris, vitæ emẽdatio, humilitas, caſtitas, paupertas & id genꝰ alia; è regione
Ireneus l. 2. cap. 58. dęmõ per ſuas præſtigias conatur ſibi diuinitatis opinionem cõparare, deiq́;
gloriã penitꝰ abolere; hęreſes & errores cũ idololatria diſſeminare, veram
Ireneus l. 2. c. 57. religionẽ funditꝰ euertere, ſuperbiã, inuidiã, diſsidia plãtare. Corpꝰ præterea
ſanat aliquãdo, vt animam perdat atq; in ſeruitutẽ redigat. Hinc videmꝰ
eos, quibus dæmõ vtitur in his præſtigiis perficiendis, homines vt pluri-
mũ ſanguinolẽtos eſſe, crudeles, atq; impuros; ecõtrà verorũ miraculorũ
effectores manſuetos, humiles, pauperes ſpiritu, atq; pietati deditos.

312. Adde præſtigiatores iſtos fumos frequẽter, & aurã popularẽ captare,
Legendus eſt eaq́; iactabũdos facere, quę vana ſunt & prorſus inutilia. Sic Simõ magꝰ, vt
Ireneus l. 2. c. 58. circa medium. ſuã, quã prætendebat, oſtenderet diuinitatẽ, volare conabatur in aẽre, cuiꝰ
volatꝰ nulla proximi vtilitas, nullũ cõmodũ extitit. Hinc Chryſoſtomus,
Chryſoſt. in c. 24. Matt. hom. 49. *In tempore* (inquit) *Apoſtolorũ & poſtmodùm, miniſtri quidem Chriſti vtilia & plena ſigna faciebãt ex parte dextera, qualia ſunt cæcos illuminare, & alia huiuſmodi facere, miniſtri autem diaboli inutilia faciebant, & vana ex parte ſiniſtra, quæ admirationem quidem videntibus excitarent, ad vtilitatem autem nulli proficerent, & erat*
Lib. 83. qq. q. 79. *inter miniſtros Chriſti, & miniſtros diaboli ex hoc iudicare, qui inutilia, & qui vtilia ſigna faceret.* Et Auguſtinus, *Cùm talia* (inquit) *faciunt Magi, qualia Sancti, diuerſo fine & diuerſo iure fiunt. Iſti enim faciũt quærentes gloriam ſuam, illi quærentes gloriam Dei. Et iſti faciunt per quadam priuata commercia, illi autem publica adminiſtratione & iuſſu Dei, cui cuncta creata ſubiecta ſunt.*

313. Et licet Deꝰ ſolꝰ propria virtute atq; poteſtate miracula citra dubiũ
poſsit facere, nullo tamen modo dubitãdum eſt, quin Sancti & reliquię
eorũ vt inſtrumenta Dei, virtute ſibi cõmunicata poſsint opera hęc om-
Ioan. 14. nes naturæ vires tranſcendẽtia præſtare; Chriſtus etenim dixit, *Amen Amen*
Luc. 17. *Matth. 17.* *dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & his maiora faciet.* Et
Marc. vlt. alibi, *in nomine meo dæmonia eijcient, &c.* Vnde Apoſtoli *prædicauerũt vbiq́; do-*
Orat. de S. Babyla. *mino cooperãte, & ſermonẽ cõfirmãte ſequẽtibꝰ ſignis.* Ab hac igitur Chriſti promiſ
ſione, oĩa martyrũ ſtupẽda facta pẽdere diligẽter adnotauit D. Chryſoſt.

314. Velle igitur negare martyres Chriſti, cæteroſq́; diuos miracula
feciſſe, eſt nõ modo hominum, ſed etiam Dei verbis fidem negare, nam
Marc. 6. diſcipuli *dæmonia eijciebant, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabant*, vbi nõ
verbo tantum & oratione, ſed creaturæ etiam applicatione miracula di-
Marc. 9. cũtur oſtendiſſe. Nec ſolùm diſcipuli id præſtiterunt, ſed etiã alij quidã in
Orat. 1. in Iulianum. nomine Ieſu dæmonia eiiciebant; Nec mirũ ſane, cũ Iulianꝰ ipſe Apoſtata
l. 3. hiſt. c. 3. ſigno crucis dęmonia abegerit, vt Gre. Naziãzenꝰ & Theodoretꝰ teſtãtur.

Ioan 5. 315. Quiq; per probaticã piſcinã potuit curare infirmos, poteſt etiã
Act. 3. per ſeruos ſuos depellere morbos; hinc Petrus claudo (inquit) *argentum & aurũ nõ eſt mihi, quod aũt habeo, hoc tibi do, in nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula.* Vbi ſignanter notat D. Petrus, hãc poteſtatem faciendi mi-

racula in ſe fuiſſe, ſeq; Claudo ſanitatē dediſſe, quàmuis à Deo eam vir-
tutē acceperit. Nec ſolùm attactu, ſed etiā ꝑ corporis vmbrā ſanitatē re-
ſtituit Princeps Apoſtolorū; *itam in plateis eijciebāt infirmos, vt veniente Petro:* Act. 5.
ſaltem vmbra illius obūbraret quenquā illorū, & liberarentur omnes ab infirmitatibus
ſuis. Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, (ait Aug.) *quāto magis nūc plenitudo* Serm. 29. de Sanctis.
virtutis? ſi tunc ſupplicātibus ꝓderat aura quædā ꝑtranſeūtis, quātò magis gratia nūc
ꝑmanentis? loqtur D. Auguſtinꝰ de catena Apoſtoli & ſimilibꝰ reliquiis.

316. *Virtutes præterea non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt* Act. 19.
etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria vel ſemicinctia, & recede-
bant ab eis languores; & ſpiritus nequam egrediebantur. Ex quibus Pauli, alio-
rumq; diuorum miraculis, probat D. Chriſoſtomus horū Sanctorū Do- Orat. in Bab.
minū, qui illis virtutem largitꝰ eſt, verū eſſe Deū ac mundi effectorem.

317. Nec mirum videri debet, quod hæc per Sanctos noui taſtamēti
Deus operatꝰ ſit, qui per veteris legis patres, nō ſolū viuos, ſed etiā mor- Num. 20.
tuos ſimilia præſtiterit; nā Moyſes virga diuiſit mare, Helias pallio Ior- 4. reg. 2. et 3
danèm ſeparauit; oſſa Helizæi defuncti mortuos ſuſcitarunt; ille idē in Eccl. 48. 49
vita ſua ingentia patrauit, & in morte mirabilia operatus eſt; oſſa Ioſephi Clem. lib. 6. conſt. c. 30.
viſitata ſunt, & poſt mortem prophetarunt. Ex his & ſimilibus locis pa- Cyrill. Hieroſ.
tres docent virtutem quandam ſanctitatis ineſſe ſacris exuuiis. catech. 18.

318. Quæ ſi vera ſint, vt veriſsima eſſe credimꝰ, ipſiq; impugnatores, ſi
Chriſtiani eſſe volūt negare nō poſſunt; quid impedit, quominꝰ miracu
la à Sanctis poſt ſæculū Apoſtolorū, vſq; ad hanc ætatē facta, & in poſterū
ꝑpetrāda, vera eſſe dicamꝰ? cū eadē virtute, eodēq; modo, ſimili fide, fru-
ctu non diſsimili, patrata conſtet, ſi ſanctiſsimi pariter ac doctiſsimi pa-
tres his de rebus iudicare potuerint; qui omnes vna voce atq; ſententia,
nō ſolùm agnoſcunt miracula Sāctorum, ſed eadem poſteritati deman-
darunt, atq; adeo contra Apoſtatas, gentiles atq; hæreticos defenderunt.

319. Quę ſi minutim perſcrutari mens eſſet, nec modū diſputationi, Amb. ſer. 85
nec exitum rei inuenire facile foret. Quare breuiter capita tantū rerum & 91. Aug.
perſtringemus. Per ſolum *contactum veſtis Sanctorum Nazarij & Celſi, multos* l. 22. ciui. c. 8
dæmoniis purgatos, debilitatibus abſolutos, atque adeo vmbra Sanctorum corporum & l. 9. confeſſ. c. 7.
pleroſque ſanatos, teſtantur Ambroſius & Auguſtinus. a ora. in Bab.

320. *a* Chryſoſtomus non veretur ſcribere Babylā mortuū pręſentia b l. 1. hi. c 35
corporis ſui, os obturaſſe dæmoni oracula reddere ſolito, tēplū Apolli- c lib. 3. c. 18.
nis euertiſſe, & alia plurima admiranda præſtitiſſe: quod ipſum confir- d lib. 3. c. 18.
mat *b* Ruffinus, *c* Socrates, *d* Sozomenus, *e* Theodoretus, *f* Metaphraſtes, e l. 3. c. 10. & 11. f In vita
atq; etiam *g* Iulianus Apoſtata cum ſuo Libanio ſophiſta. Babylæ.

321. Teſtatur Epiphanius, *poſtulationis Ieremiæ beneficio, aſpides & vndarū* g apud Chry. loco citato.
beluas, quas Græci crocodilos vocant, ex finibus Ægypti profligatos; quique (inquit)
vel hodie adhuc fideles cōperiūtur, eodem in loco ſupplicare, & ſumpto puluere morſibꝰ De Prophetarū vita & interitu.

In vita Eſa. *aſpidum medentur; feræ quoque aquarum hinc aufugerunt.* Idem prætereà deſcribit memorabile aquæ profluentis beneficium, quòd Eſaias poſt mortem in Iudæos, ad ipſius ſepulchrum conferebat.

In præf. inſt. ad Regem Galliæ. *In argumẽto breui in Ieremiam.* *In l. de vitis Prophetarũ.*

322. Nec poſſumus hoc in loco præterire Caluinum, qui inſigniter mentiens ſcribit Aegyptios apud ſe ſepultũ Ieremiam ſacrificiis, aliiſque diuinis honoribus proſecutos eſſe. Quod ſanè nec in Epiphanio, nec in vllo alio probato auctore legitur, quamuis eadem quæ Epiphanius de Ieremia, ſcribant Hieronymus, Dorotheus Epiſcopus & martyr, atque etiam Iſidorus.

a In Martiano. b In vita Euphemiæ. c Lib. 2. c. 3. d Lib. 12. rerum Rom. e l. 15. hi. 3c.. & l. 18 c. 31.

323. De miraculis Euphemiæ martyris, ſcripſit *a* Zonaras, *b* Metaphraſtes, Concilium Chalcedonenſe act. 3. & Baſilienſe in reſponſo Synodali. *c* Euagrius prætereà cõmemorat fragrantiſſimum, & iucũdiſſimum liquorem ex tumulo eius profluere; nec ſolum Euagrius hoc recenſet, ſed etiam *d* Paulus Diaconus, & *e* Nicephorus poſt Metaphraſtem.

In orat. cont. Iulianum. *Libr. 22. de ciuit. c. 8.*

324. Gregorius Nazianzenus ait à martyribus & Apoſtolis ſanctis *dæmones expelli, infirmos ſanari, quorum (inquit) ſunt apparitiones, & liberationes, quorum etiam corpora ſolum ſiue tacta, ſiue venerata, eadem poſſunt, quæ & ſanctæ animæ, &c.* Auguſtinus prætereà protomartyris Stephani miracula, quaſi omnibus Aphricanis notiſsima deſcribit, ad eius enim reliquias ait mulierem à cæcitate, Eucharium presbyterum à calculo, Lucillum Epiſcopum à fiſtula, fratrem & ſororem ab horribili membrorum tremore liberatos eſſe, ſex denique vel ſeptem mortuos reuixiſſe.

a Contra Vigilan. in vita Hilarionis, in epit. Paulæ. b In vita Eunuchi. et prophetarum. c In orat. de Iuliana & Mamante. d In vita Theodori martyris. e De prom. et prædic. c. 6. f Paſsim in Vincentio. et aliis hymnis. g In vita D.

325. Verum quoniam longum foret ſingula perſequi, auctorũ duntaxat nomina adſcribemus, qui fuſius Diuorum miracula ſcriptis demandarunt; in quibus præter iam nominatos, illuſtres ſunt *a* D. Hieronymus, *b* Dorotheus, *c* Baſilius magnus, *d* Gregorius Niſſenus, *e* Proſper Aquitanicus, *f* Prudentius, *g* Seuerus Sulpitius, *h* Cyrillus Alexandrinus, *i* Euſebius Emiſſenus, *k* Theodoretus, *l* Ioannes Climacus, *m* Theodorus Lector, *n* Victor Vticenſis, *o* Gregorius Romanus, *p* Gregorius Turonenſis, *q* Oroſius, *r* Gaudentius, *ſ* Beda, *t* Odo Cluniacẽſis, *u* Petrus Damianus, *x* Eutropius, *y* Paulus Diaconus, *z* Euodius, *a* Sophronius, *b* Ado, *c* Otho Friſingenſis, *d* Nicephorus Calixtus, & *e* Sigibertus Abbas, *f* Lippomanus & *g* Laurentius Surius. Nec deſunt hac noſtra ætate, qui prædictorum imitati diligentiam miracula plurima hoc poſtremo ſæculo facta literis conſignarunt, vt *h* Thomas Fazellus, *i* Cælius Rhodiginus, *k* Polydorus Virgilius, *l* Bartholomæus Camerarius, *m* Michaël Metina, *n* Alanus Copus, *o* Petrus martyr, *p* Fr, Lopes, *q* Alſonſus ab Vlloa, *r* Ioannes de Barris, *ſ* Bernardinus Scardeonius, *t* Auentinus, & auctores epiſtolarum Indicarum.

Martini. h *Lib. 6. cont. Iulianum.* i *Hom. de Blandina, &c.* k *In l. 8. Græc. affect. & in hiſtoriis patrum.* l *In*

gradibus

gradibus de reliquiis Menæ grad. 4.c.12. m *lib. 2. colleƈt.* n *In narrat. de Maturiano &c. & l.1. & 3. de perſec. Vand.* o *In Dialogis.* p *lib. de miraculis S. Martini.* q *l.7.c.36.* r *Serm. de dedicatione templi.* ſ *In hiſtoria Anglicana.* t *In vita S. Gerardi, & de laudibus S. Martini.* u *De miraculis ſui temporis, & in vita S. Odilonis Abbatis.* x *In Chron.* y *l.12. rerum Rom. & l.4.c.16. de geſtis Longobar.* z *De miraculis S. Stephani.* a *In prato ſpirituali.* b *In Chron.* c *In Chron.* d *In l.18. hiſt. c.32.* e *In Chron.* f *In vitis Sanƈtorum.* g *In tomis de Sanƈtis.* h *De rebus Siculis dec. l.1.c.1. l.2.c.4. & l.7.c.3.* i *.17. antiq. c.28.* k *l.8. hiſt. Anglican.* l *In dialo. de orat. c.5.* m *l.2. de reƈta in Deum fide. c.8.* n *In dialog. 3.* o *De nouo orbe l.6. dec. 2.* p *De India occidentali.* q *l.2. de vita Caroli quinti.* r *Dec. 1. l. 2. c. 25. & l. 3. c. 9.* ſ *De antiq. vrbis Pataninæ.* t *Lib. 4. Annal. Bauar.*

326. Horum itaq; tot ac tam illuſtrium virorum teſtimonia velle reiicere, aut fidem in dubiũ reuocare, aliud profeƈto nihil eſt quam humanæ ſocietatis neruos incidere; ſublata enim hiſtoriæ humanæ fide ac veritate, quid reliquum erit cognitionis de præclaris maiorũ noſtrorũ faƈtis? quid de reipublicæ ſtatu ac gubernatione certi haberi poteſt? ſi Iulio Cæſari credunt aduerſarij, ſi Suetonio, Tacito, Plutarcho, atq; Plinio, ſi hominibus vera luce nondum illuſtratis fidem habent, cur eandẽ denegabunt ſanƈtiſsimis atque doƈtiſsimis patribus, præclara diuorum geſta deſcribentibus? cur doƈtiſsimis noſtri ſæculi viris, qui miracula Sanƈtorum literis deſignarunt, fidem non habendam ducunt? Non eſt quod ſuſpicentur maiores noſtros, vel linguas ſuas venales habuiſſe; vel in tanta diuorum multitudine argumẽto ſcribendi indiguiſſe, vt opus eſſet noua fingere ad ingeniorum exercitationem, vel religionis commendationem.

327. Verum, vt quod ſentio aperte dicam arbitror equidem aduerſarios ob eam maxime cauſam miracula Sanƈtorum impugnare, quòd videant eos, qui miracula fecerunt, iis virtutibus ornatos fuiſſe, quibus ipſi præ Euangelij mollis teneritudine haud quaquã poſsint aſſueſcere; cernunt eos caſtitatis, virginitatis, ieiunij, paupertatis, contemptus ſui, carnis macerationis, & ſolitudinis laude floruiſſe; intelligunt eoſdem ſummos fuiſſe hoſtes, & euerſores illius perfidiæ, quam antiqui hæretici diſſeminarunt, & ipſi modo reuocarunt; ac proinde ſi miracula eorũ admittant, verentur ne & doƈtrinam admittere, vitæq; inſtitutum illis miraculis confirmatum approbare cogantur, virginitatem ſcilicet ieiunia, orationem (per quæ genus quoddam dæmoniorum eiici Chriſtus teſtatur) paupertatem, & ſimilia; quæ certè parum arrident nouæ reformationis ſeƈtatoribus; ac proinde ducunt multo magis è re fore noui Euangelij, miracula negare, quam his piis exercitiis aſtriƈtos eſſe. *Matth. 17.*

328. Cæterùm cùm aduerſarii clamitent hæc miracula poteſtate dæmonis non Dei fieri, non aliud quam ſuam produnt impietatem, id tribuẽtes dæmoni, quod ſanƈtiſsimi patres Chriſti virtuti acceptum retulerunt, probe intelligentes multa eiuſmodi eſſe, quæ nec à dæmonib⁹ præſtari poſſunt, & reliqua eo modo ac ordine fieri, vt nulla poſsit interue-

teruenire ſuſpicio magiæ. Nam de illis miraculis hic agimus, quæ eccleſia Chriſti approbauit, non de nugis illis quas aduerſarij nobis pro libito affingunt, aut improbi homines euulgarũt. Quid præterea magis impiũ poteſt excogitari, quam putare Deũ velle permittere ſanctiſsimos viros, populumq; fidelem, qui gloriã eius & honorẽ proprię vitæ anteponunt, in huiuſmodi cultũ ſuperſtitioſũm, atq; adeo idololatriæ crimẽ incidere, vt dęmonẽ loco Dei adorent, venerentur, atq; ab eo auxilium flagitent.

329. Rurſum non video qui hæc à dæmone fieri poſsint, nã (vt inquit Euthimius reſpondens Bogomilis) *quomodo beatorũ reliquiis inhærent dæmones, qui eas reformidãt, & virtute earũ ab hominibus fugantur?* & ſi martyrũ cultus adeo illi placet, qui fit vt memoriam, cineresq; martyrum dæmones vbiq; veluti pęnam atq; ſupplicium fugiant atq; exhorreſcant? curq; dęmonum ſeduli illi adminiſtri Iudæi, Gentiles, & hæretici abolendis ſanctorum reliquiis & miraculis, ſtrenuam ſemper operam nauarunt?

Serm 91. de invent. corporum S. Geruaſij & Protaſij.

330. Sed audi Ambroſium Arrianos hanc ob rem in crimen vocãtẽ, *Dicunt* (inquit) *dæmones, ſcimus quia martyres eſtis. Et Arriani dicunt, neſcimus, nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt dæmones martyribus, veniſtis perdere nos; Arriani dicunt, non ſunt dæmonũ vera tormenta, ſed ficta & cõpoſita ludibria. Audiui multa cõponi, hoc nemo vnquam fingere potuit, vt dæmoniacũ ſe eſſe ſimularet.* Et iterũ. Quia celebritatẽ veſtrã inuidis animis ferre nõ poſſunt Arriani, cauſam celebritatis odẽre, atq; dementiæ in tantũ prodeunt, vt negent martyrum merita, quorum opera etiam dæmõnes confitentur. Sed hoc non mirum; ſiquidẽ tanta eſt incredulorum perfidia, vt tolerabilior ſit diaboli confeſsio. Hæc & huiuſmodi plura quæ ibidem à B. Ambroſio cõmemorantur ſibi dicta putẽt Euangelici. Nec his abſimilia ſunt quę habet Leontius Cyri Epiſcopus. *Vere* (inquit) *magna eſt Iudæorum cæcitas, magna impietas; in veritatem iniurij ſunt, ingrata Iudæorum lingua in Deum conuicia ducunt. A ſanctorum martyrum reliquiis, & imaginibus ſæpe dæmones fugantur. Hac tamen ſceleſti illi cõtumeliis afficiunt, peruertũt, illudunt, & ſubſannãt. Dic mihi quot inumbrationes, quot ſcaturigines, ſæpè etiam & ſanguinis fluores ex imaginibus & reliquiis Sanctorum extiterunt: iꝗ tamen corde inſenſati videntes non credunt, verum fabulas iſta, & nugas eſſe arbitrantur.*

In concertatione con. quẽdam Iudæũ. citata Synodo 7. act. 4.

331. At quid hæc ſua in diuis oppugnandis pertinacia moliantur aduerſarij, quidue moleſte ferant, clarius ex eo intelligimus. Conati ſunt non ſemel prodigiũ aliquod edere, quo falſam doctrinã Dei veri virtute cõfirmarent; ſed quam non ex animi ſententia ſucceſſerit, teſtatur liuor ille & flagrans vindictæ cupiditas, qua Sanctos diuoſq; omnes diris dæmonibuſq; deuouere non erubeſcunt. Vidẽt ſe deſtitutos patrũ auctoritate, miraculorum virtute ab eccleſia ſuperari, ſcripturarum auctoritate vehementer premi, omniaq; à parte Catholicorum ſtare, ac proinde ſatius exiſtimant his mẽdaciis atq; preſtigiis nos à poſſeſſione veræ doctrinæ atq; miraculorũ, ſi queant, exturbare, quam errorem ac hæreſim ſuperbo quodam faſtu inchoatã humiliter agnoſcere atq; deſerere.

332. Vociferautur nos iniuſte ab illis miracula exigere in cõfirmationẽ doctrinę ſuæ.

ſuæ, *cum linguæ & miracula in ſignum ſint non fidelibus, ſed infidelibus.* Verum Apoſtolus non damnat miracula quæ à fidelibus fiunt, ſed docet illa non eſſe neceſſaria, vbi fides iam plantata eſt, & confirmata: atqui aduerſarij noſtri nō ſolum dicunt Pontificios, id eſt, Catholicos infideles eſſe, ſed ipſis etiam infidelibus longè peiores. Ac proinde merito deberent miraculorum virtute ſuam nouam doctrinam, & extraordinariam miſſionem confirmare, Catholicorumque mentes ab errore reuocare.

1. Corinth. 14

333. Sic Chriſtus doctrinā ſuā cōfirmauit, Iudæoſq; grauiter arguit quòd à ſe factis miraculis fidē nō haberent. Sic Apoſtoli ſuā cōfirmarunt prædicationem, fidemq; Gentilibus perſuaſerūt. Atq; etiam in veteri lege iuſſu Dei, ille ſolus Propheta Dei cenſendus erat, qui prophetiam ſuam miraculo confirmaret, *Propheta* (inquit Deus) *qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aut ex nomine alienorum Deorum interficietur. Quod ſi tacita cogitatione reſponderis, quomodo poſſum intelligere verbum quod Dominus non eſt locutus? hoc habebis ſignum; quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.*

Matth. c. 4. Marc. 1. Ioan. 1. 9. 10. 11. 14. et 20. 1. Corinth. 2. Gal. 1. & 3. Epheſ. 3. Deut. 18.

334. Hinc Moyſes admirandis operibus ſuam miſſionem cōfirmauit: reliqui etiā Prophetę partim miraculis, partim vitæ quadā inſigni puritate, & morū integritate, ſe à Deo miſſos ſatis indicabant. Quæ cum in noſtris nouis Prophetis haud inueniamus, mirum non eſt, ſi eos pariter ac doctrinam nouam (ni mauis dicere hæreſes antiquas) reiiciamus, Irenæi ſanctiſsimi martyris exemplis edocti, qui poſtquam docuiſſet hæreticos nō poſſe vera exhibere miracula, de Catholicis inquit, *In illius* (Chriſti) *nomine, qui veri illius ſunt diſcipuli ab ipſo accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominū, quemadmodum vnuſquiſque accipit donum ab eo; alij enim dæmones excludunt; alij autem & præſcientiam habent futurorum, & viſiones & dictiones propheticas. Alij autem laborantes aliqua infirmitate per manus impoſitionem curant, & ſanos reſtituunt, &c.*

Exo. 7. 8. 14. 3. Reg. 17. Lib. 2. c. 58.

335. At Satanas inquiunt, transfigurat ſe aliquando in Angelum lucis, & per præſtigias diabolicas, ac miracula falſa ſuam venditat perfidiam & cultū perniciosum. Negare non poſſumus quod dicit Apoſtolus, ſiquidem experiētia didicimus verū eſſe in huius noui Euangelij diſſeminatoribus, qui miram quandam ſanctitatem, māſuetudinē, & morū probitatē in principio ſimulabant, vt vel hinc Angelos lucis exiſtimaſſes; deinde verò vbi ſedes occupaſſent, regeſq; ac principes vel clauo reip. amouiſſent, vel inteſtinis bellis infeſtaſſent, ſemota larua omnem impietatē ſiue blaſphemiā in Deū, Chriſtum, & Sanctos eius euomuerūt; omnē barbaricā crudelitatē in ſacerdotes Chriſti, & pios Catholicos exercuerūt; tēpla euerterūt, altaria ſuffoderunt, ſanguinē innocētē effuderunt, reſpublicas perturbarunt, libertatē carnis inuexerunt, infinitis ferè hæreſib' viā aperuerunt. Cuius rei teſtes ſunt prouinciæ illæ, in quibus Caluini ſoboles pedes fixit, vt Gallia, Belgium, Anglia, atq; Scotia. *Ieiunij enim loco commeſſationibus & perpotationib' nocte dieque vacant, noui Euangelij ſectatores plerique omnes (ſi fides Smidelino habēnda eſt) precationes vertunt in iuramenta, blaſphemias, & diuini nominis execrationes, idque iam perditè, vt Chriſtus ne ab ipſis quidem Turcis hodie tantopere blaſphemetur: demum pro humilitate regnat paſſim ſuperbia, faſtus, elatio, & luxuria veſtium. Atque hoc vniuerſum vitæ genus ab illis Euangelicum dicitur inſtitutum* Hæc ille.

1. Corinth. 11. Deut. 13. In concione 4. de planetis in Luc. 21

336. Si ergo hi ſint fructus reformationis nouæ; & ſplendor Euangelij nunc tandē ex angulo erumpens tantis næuis ſit deformatus in ipſo ſui ortu atque principio, quid poſt ſæculum futurum exiſtimabimus, vbi noua illa lumina extincta obſoleuerint, & memoria Lutheri, Caluini, atque Bezæ cum ſonitu tranſierit? verum hoc vnicum ſolatium Catholicos ſuſtentat atque erigit plurimum, hæreſim non poſſe diu conſiſtere, nam vel ſua ipſius leuitate ruit, vel inteſtinis hæreticorum odiis ſeſe ſubuertit.

Porro ſi contingat interdum Pſeudoprophetas mira quædam opera fraude dæmonis
Theſ. 306. & c. patrare, ex his quæ ſupra diximus, poterunt à veris miraculis hominum prudentium ſolertia facile diſtingui.

337. Sed idololatriam timent homines ſcrupuloſi, ne ſcilicet honorẽ Deo debitũ creaturæ inanimatæ, id eſt, reliquiis Sanctorũ, attribuant, ſi ad eas ſanitatis vel alterius beneficij impetrandi cauſa concedant, aut ab illis miracula fieri credant. Verũ timent, vbi non eſt timor; ſiquidem Elias verus Dei cultor fuit atq; propheta, & tamen pallio inuoluto vſus eſt ad diuidendas aquas; mulier Euangelica, fimbriã veſtimenti Chriſti
4. Reg. 2. tetigit, & ſanata eſt. A ſudariolis & ſemicinctiis Pauli, vt etiã ab vmbra Petri petita eſt ſanitas, ſine vlla idololatriæ vel ſuperſtitionis ſuſpitione: pari modo ad ſepulchra Sanctorum acceſſerunt maiores noſtri, & auxilia quæ petebant, impetrabant. Illorũ pietas laudatur à patribus ſanctiſſimis, nulla idololatrię nota illis iniuritur, quia nimirũ optimè intellexerunt viri prudentes, nõ dęmonis fraude, ſed Dei potentia atq; virtute omnia exhiberi, quod & factum ipſi ſcriptis ſuis luculentiſſimè comprobarunt.

338. Nec hoc loco prętermittẽdum duximus, quòd quidam non infimi inter nouatores ordinis, (vt & ipſe facilè agnoſcit) vrget miracula noſtra vera non eſſe cenſenda, primùm quidem, quia non Dei ſed hominum fiunt nomine; deinde quia donum miraculorum cum ipſa vita hominis cui conceſſum fuit, finem habet; poſtremò, quia nuſquàm legim⁹ in ſacris literis per huiuſmodi reliquias ſanctorũ miracula facta eſſe.

339. Verum ſi non firmioribus præſidiis ſua confirmet, noſtraque euertat quàm iſtiuſmodi næniis & apertis mendaciis, non eſt cur tela eius reformidemus. Siquidem Catholicis omnibus perſuaſum eſt miracula noſtra, non mortalium hominum, ſed Dei in ſeruis ſuis inhabitantis vel operantis virtute ac nomine fieri, non minus quàm olim *virtutes non quaſlibet faciebat per manus Pauli: faciunt* (inquit Auguſt.) *iſta miracula*
Act. c. 19. l. 22. de ciui. ca. 9. & 10. & l. 10. c. 12 *martyres, vel potius Deus, vel orantibus, aut cooperantibus eis, vt fides illa proficiat, qua eos nõ Deos noſtros, ſed vnum Deum habere nobiſcum credimus.*

340. Friuolum etiam eſt, quod ſecundo loco poſuit, nam cũ miraculorũ donũ ab vnius Dei voluntate pendeat, iſq; non minus potens eſt per oſſa ſacra, ſiue catenas Pauli mortui, quam ſudaria & ſemicinctia eiuſdem viui beneficia mortalibus præſtare, non video cur aduerſarius neget id factum eſſe. Dubitauit quidem magnum illud
Lib. de cura pro mortuis c. 16. lumen eccleſiæ Auguſtinus, quo modo martyres opitulentur nobis, & miracula faciant, quin tamen nobis beneficia hæc præſtarent nũquam dubitauit. Verba eius ſunt, *Iſta quæſtio vires intelligentiæ meæ vincit, quemadmodum opitulentur martyres iis, per quos certũ eſt eos adiuuari. Vtrum ipſi per ſeipſos aſſint vno tempore tam diuerſis locis, ſiue vbi ſunt eorum memoriæ, ſiue præter ſuas memorias vbicunque adeſſe ſentiuntur; an ipſis in loco ſuis meritis congruo, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, Deus exaudiens martyrum preces per angelica miniſteria præbeat hominibus iſta ſolatia, quibus in huius vitæ miſeria iudicat eſſe præbenda, & ſuorum merita martyrum vbi vult, quando vult, quomodo vult, maximeque per eorum memorias, quoniam hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Chriſti pro cuius illi confeſſione ſunt paſſi, mirabili atque ineffabili poteſtate ac bonitate commendet, &c.*

341. Ad poſtremã obiectionẽ dicimus hanc argumẽtandi formã fuiſſe hæreticis ſemper vulgarẽ, vt nihil admitterent quod in ſacris literis nõ eſſet expreſſum. Attamẽ
Eſa. 28. ne glorietur in malitia ſua nouus iſte Goliath, qui *videtur poſuiſſe mendacium ſpẽ ſuam, & eodem ſe protegere voluiſſe*, dum ſuis ſuadere conatur nobis ſcripturã non fauere in præſenti cauſa, remittimus eum ad theſim 147, 149. & ſequentes, tum ad 315. 316. & 317.
Prouerb. 10. in quibus ex ſacris literis, per reliquias tam viuorum quàm mortuorum miracula facta demonſtrauimus, quò vel ſic intelligat illud ſapientis, eum qui nititur mendaciis paſcere ventos.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

P. SALVAREZZA
RESTAURO
Via Val Sessina, 63
Tel. 899.223
1969